66 **Donati, G. Batt.** De maturitate materiae in morbis ll. III. Franco
1591. 8vo. 4 ll., 167 pp. Swd. Frs. 12.-
Hirsch II, p. 202. First edition.

IOANNIS BAPTISTAE DONATII

DE MATVRITATE MATERIÆ IN MORBIS, LIBRI III;

Omnibus Philoſophis ac Medicis maxime neceſſarii.

AD MICHAELEM ANGELVM BERTOLINIVM MEDICVM præſtantiſſimum.

Nunc primùm in lucem editi.



FRANCOFVRTI
Apud Ioannem Wechelum & Petrum Fiſcherum conſortes,

cIↃ. IↃ. XCI.

MICHAEL ANGELVS BERTOLINIVS IOANNI BAPTISTÆ DONATIO S. P. D.

APPARATVM *tuum Medicum superioribus diebus diligentissime legimus. probatur à nobis cum ob verborũ speciem, tum vero ob fructum. dedi eum illico Pizzinio, vt & ipsum delectaret. percupis ex me aliquid de eo audire? at me hercle nihil mihi nunc venit in mentem, quod ad eam rem aliquid habeat momenti. dum autem tu eam rem pertractas, ad alias quasdam tuas vindemiolas nos reiicis. præter cetera laudas Volumen De maturitate materiæ in morbis: in qua re meas cogitationes omnes diu, multumque plane consumpsi. Quàm vellem*

aliquis existeret, qui ita eam rem tractaret, vt apertam illius veritatem nullo negocio intelligeremus, & vt rabies illa contra alios inuehendi, quæ omnium animos hactenus inuasit, ab eo prorsus abesset! Ego vero concoctionem, & cruditatem multa, ac multa significare, cum in ceterorum Medicorum, tum vero in Galeni ipsius monumentis obseruaui. huiusce rei ignoratio quamplurimos fefellit. Ceterum non nisi in febribus maturitatem perpendunt: in aliis autem morbis, quos febres minime consequuntur, mirum ea de re silentium, nec non de earum ægritudinum temporibus. Continere me non possum, quin hæc nunc, præsertim ad te. Scribunt omnes de illis febrium generibus in quibus ægroti animo fere concidunt, quæ ex crudiobus humoribus concitantur, in quibus ex artis præceptis neque vt sanguis mittatur, iubemus, neque medicamenta imperamus. Atque hoc alterum habetur genus cruditatis (vt ita dicam) positiuum; alienum sane, ac periculosum. reperimus præterea eam cruditatem, quam inter initia morborum perspicimus.

Ad hoc responde-tur lib. 1. cap. XIX.

cimus. Rem hanc accuratius minime tractabo. ea cuncta in naturæ dominatu minime esse significat. fieri vero potest, vt vel bile, vel pituita totum corpus completum, refertumque sit. inuenitur item ea cruditas, quæ significat materiam ab arte minime paratam ad detractionem. cuncta hæc maturitatis genera habent, quæ ex altera parte illi respondent, cruditates. prætereo nunc cõcoctionem, quam natura molitur, quæ corpus totum alit, & singulas eius partes nutrit. propius accedo. Socrates hoc tempore commoda vtitur valetudine, paullo post incidit in febrem; materia, quæ febrem excitauit, crudior est: quoniam morbus nondum viget, id est, materia ipsa adhuc permixta est, nec adhuc optima à praua seiuncta, ac separata est, qua ratione in hoc casu maturitas consequatur, statim accedente humorum putredine, mente, animoque accuratius consideres maxime velim. Quod ad Hippocratis interpretes attinet; scito me nullum alium mihi comparasse præter Caluum nescio quem, cuius monumenta Romæ iampridem edita fuere, La-

Lib. I. cap. XIII. Lib. III. cap. II.

Lib. I. cap. XIII. XVII. XXIV. Lib. III. cap. V.

tinæ linguæ, & rei Medicæ ignarum. Paullo ante alium legi, cuius ſcripta Baſileæ, & Venetiis nuper impreſſa fuerunt. ſuperiori autem anno cum eſſem Venetiis, Patritius Venetus ſane eruditus, cuncta opera Hippocratis Græca mihi oſtendit, in quibus erant quamplurima ad oras libri notata. teſtabatur ea ſe excepiſſe ex quodam libro manuſcripto perantiquo. multa legi, quædam perpendi, quamplurimis in locis noſtra exemplaria adeo corrupta, ac deprauata cognoui, vt ſane deſperârim Senis illius optimi monumenta poſſe poſthac plane ſanari. quare eam cogitationem tandem aliquando abieci. Compertum habeo Auguſtinum Ricchium quædam me rogante, ac impellente conſcripſiſſe. Verumtamen nihil abſoluti. Paucis ab hinc diebus Venetias proficiſci deliberatum mihi eſt. ſi ad viſendum, vtendumque mihi liber ille patuerit, cuncta illa loca excipiam, vtque ad te ſtatim perferantur, diligenter curabo. Vale, & quod facis, me ama. D. Lucæ X. Calend. Auguſti CIↃ. IↃ. LXV.

IN

IN *primo libro quid ſit natura, & quid concoctio; deinde eius differentiæ aperiuntur; & ſingillatim vnicuiusque humoris maturitates explicantur.*

ABSOLVTA *hac parte, in ſecundo ſcilicet, de maturitatis notis; & de ſingulorum morborum maturitatibus agitur.*

POSTREMO, *in tertio videlicet, quæcumque ab Hippocrate in libris De morbis vulgaribus de maturitate morborum tradita ſunt, ea omnia cum iis, quæ præcepta ſunt, pulcherrime conuenire oſtenduntur.*

IOANNIS BAPTISTÆ DONATII DE MATVRITATE MATERIÆ IN MORBIS LIBER I.

AD MICHAELEM ANGELVM BERTOLINIVM.

CAP. I; *Scribendi occasionem, & maturitatis cognitionem esse dignissimam.*

HÆc, quæ de materiæ maturitate in morbis à me in meis tabellis in angustum olim contracta fuere MICHAEL ANGELE BERTOLINI doctissime, te rogante tibi nunc explicare aggredior, quem omnia consequutum esse certo scio, quæ ingenio, & vsu præstantissimus quisque in arte medica se adeptum esse arbitratur; non vt aliquid noui tibi afferre posse suspicer, sed vt, si quicquid potero alacri animo effecero, testatum apud te relinquam, quanti te semper fecerim, & quid hac de re potissimum senserim, vt tu, si meam non probaueris, possis facile aut illam corrigere, aut tuam (quod magis exopto) in medium afferre sententiam: quorum vtrumlibet si consequar, & mihi, & ceteris huiusce artis studiosis egregie consuluisse gaudebo. quibus nihil me hercle gratius, aut iucundius accidere posse arbitror, præsertim in re adeo magnis inuoluta quæstionibus quam quicquid sentiendũ est, tè auctore potissimũ sentiant. Hi desperatione debilitati, quod id se assequi posse diffidant, sine quo artẽ ipsam aut mancam,

aut imperfectam, aut certe nullam esse cognoscunt; vel plurimam merito illi salutem dicunt, vel à studio, & labore remoti ad assentandi artem animum adiiciunt; qua nullus maior morbus, nulla perniciosior pestis medicos inuadere potuit. quæ quamuis maximas pecunias, inanemque gloriolam ostentare videatur, infandis tamen casibus subiacet, vbi veritas vincit, ac superat. De maturitate materiæ in morbis, quod tu haud nescis, plures nostra tempestate eruditi, & diserti homines accuratissime quæsierunt. quorum nonnulli veluti à rei medicæ studiis valde remoti, magis vt Philosophos decet, de ea disputarũt. alii cum eandem materiam vberius tractandam suscepissent, singulorum humorum, ac morborum maturitatem nescio quo pacto properantes præterierunt. Galenus, qui reliquas huiusce facultatis partes eximie tractauit, quædam tantummodo in libris De iudiciis attigit. Separatim vero nihil de ea ab illo litteris consignatum est; vel quod multo ante ab aliis ornate, dilucideque esset satis explicata, vel quod satis multa de ipsa vulgo se tradidisse putaret; qui autem eum consequuti sunt, cum artem mutilam, ac hiantem perfectam, atque absolutam esse censuerint, in ea excolenda amplius elaborandum esse non putarunt. Sed quæcunque Galenus copiosissime, ac diligentissime præclaris illis suis voluminibus complexus est, in quosdam libellos anguste coniicere conati sunt; quos, qui tenerẽt, certas habere rationes, præceptaque medendi arbitrabantur. quæ eos in curationibus decipi minime paterentur, verum longe mea quidem errarunt sententia; etenim & sustulerunt illam præclaram viam, ac rationem curandi, quam primus inuenit Hippocrates, deinde Galenus multa post secula & muniuit, & instaurauit egregie; & dum labores studiosorum frustra minuere conati sunt, paullatim ad putidam, & veterem illam toties iam tot seculis dimissam, & explosam Gnidiorum, &

Empi-

Empiricorum consuetudinem scribendi nos reuocarunt, quæ multorum animos fregit, studia retardauit, & ad omnes alias res traduxit; vnde res medica diu, multumque misere, turpiterque deformata in summo situ, ac squalore iacuit. Ego vero, quoniam ita te velle intelligo, non inuite experiar, an quæcumque apud Hippocratem, Galenum, ceterosq; optimos medicos diligenter obseruauerim, breuiter, ac dilucide tibi explicare possim. me quidem iuuat hanc eandem materiam tractare, qua nulla est, (ni plane fallor) nec amplior, non obscurior, nec cognitione dignior vnquam à iunioribus medicis perscripta. venia dignus ero, si nullum laborem detrectans quicquid suscepero propter operis magnitudinem, ac obscuritatem perficere non potero. D. o. m. beatissimaque nuntiata Maria Tutelina faxit, vt huic operi, quod nunc tuo rogatu, ac communis vtilitatis gratia scribere aggredior, prosperos concedant successus.

CAP. II; *Hanc tractationem ad præsagiendum vtilem esse, ac de natura quædam.*

OMNES Medici, qui in futurum præsagiendi gloria florere student, non solum in iis morbis, in quibus periculosum esse scriptum reliquit Hippoc. indicare quid futurum sit, sed etiam in aliis, in quibus hoc præstare maxime conuenit, quando morbus ad maturitatem peruenturus sit, optime teneant, necesse est; non enim vnquam præsagire poterimus conualiturus ne sit ægrotus, an periturus, eius morbi, quo ille affligitur, maturitatis, & cruditatis notis plane ignoratis, quæ & robur naturæ, & infirmitatem ostendunt: in quorum cognitione tota consistit de morborum euentu præsentiendi ratio & lex, quod in nostro Medico apparatu demonstrauimus. & quicunque medicamenta in morbis curandis recte, atque ordine præ-

bere desiderant illos, quando natura moliatur maturitatem, nisi si humores turgeant, tenere oportet. Vetus
„ enim est senis magistri illud egregium, (*cocta extrahētibus medicamentis purgare oportet, & quæ non cruda sunt, at non inter initia morborum, nisi si humores turgeant*;
„ etenim quod tradidit idem Hippoc. *Si talia post appareant, qualia sunt, quæ in principiis excerni solent, hæc non valde maturari putat.* multi vero sunt morbi, quorum humores cum à natura repente, & confestim extrudi nequeant, paullatim, & longiori temporis spatio maturari, atq. extrudi necesse est. hæc vero humorum propulsio non iudicium (vt nonnulli arbitrati sunt) sed maturitas quædam appellanda est; quæ quo pacto ad vniuscuiusque humoris genus recte accommodari possit, nunc maxime aperiendum est. Cum igitur humano generi duplex natura tributa sit; altera communis, quæ regit, ac gubernat vniuersos, altera vero, quæ saluti prospicit singulorum, nos in hoc libello de ea vi, ac facultate agemus, quæ singulos nutrit, auget, & conseruat. & quamuis res ipsa nos admonere videatur, vt tantummodo de ea illius facultate pertractemus, quæ deprauatos in corpore aut restinguit, aut mutat, aut alterat humores; tamen quoniam cohærens, & vna natura est, quæ vtroque bellissime munere fungitur, pauca quoque de ea, quæ nos genuit, & aluit, disserere operæpretium esse duximus.

CAP. III; *De antiquorum Philosophorum sententiis minime disputandum.*

VARIAS antiquorum Philosophorum sententias (quod nonnullos hoc tempore factitare intelligo) de maturitate in medium minime afferre decreui, vel quod nimium putidæ, vel quod dum Philosophia ipsa quasi increscceret, natæ; vel denique quod iampridem explosę fuerint. nunc cum ipsa sit iam confirma-

firmata ætate Philoſophia, omnibus ornamentis cumulata, grauiſſime conſiſtens, nullus, credo, eſt, qui cibum atteri, vt Eraſiſtratus; nullus, qui eundem putreſcere vt Praxagoras, arbitretur: licuit quondam Platoni, licuit Ariſtoteli, licuit Galeno ſcriptores veteres exagitare, inſectari, conuitiis vrgere, qui nouis quibusdam & abſurdis opinionibus omnia interturbabant. tunc enim cum hiſce quaſi monſtris prœlia inire eos oportuit vel inuitos, quibus vtinam terra etiam nunc repleta non ſit. verumtamen hiſce iamdudum de medio ſublatis nobis nihil neceſſe eſt aut Eraſiſtratum, aut Aſclepiadem male accipere: hic naturam pro ſalute animalium nihil omnino agere affirmabat; qui cum naturam eſſe fateretur, facultates tamen illius omnes è corpore exturbabat, an homini quidem aliqua in re illa, proderit; non autem de homine laborabit? & nullam quidem hominis curam ſuſcipiet, erit autem mirifice etiam de homine ſollicita? quis autem eſt, qui non videat vtroſque non modo cum hominibus certare, verum etiam Gigantum more cum Diis ipſis immortalibus bellũ gerere voluiſſe? *Natura enim cuncta fulcit, ac ſuſtinet.* &; *Naturæ vis cunctis rebus incrementum affert, & eadem nutrimentis educat, & denique vt germina emittant, cauſſa eſt.* &; *Natura agitata, atque impulſa artis peritis, quæ agenda ſunt, demonſtrat.* Ceterorum inanes ſententias ne laudare quidem in animo habeo, quod nullus iam ſit, qui eas veluti ineptas, abſurdas, ac commentitias non reiiciat, reprobet, aſpernetur. verum eſto aliquis, qui illas, vt cognoſcantur, digniſſimas iudicet, certe quisquis is eſt, in iis refellendis (quas difficile refellere non eſt) tempus fruſtra conterat, neceſſe eſt, quod conſumi vtilius multo potuit præclaris ſexcentis in rebus, in quas magnum ſtudium, magnamq; operam nos conferre maxime oportuit. ergo haſce veterum de maturitate opiniones veluti plane inutiles relinquamus, ac

respuamus, quas præterquam quod corrigere non licet, tempus etiam ipsum eas iam prope deleuit. grauioribus probabilioribusque disciplinis acquiescamus, in illisque perpetuo maneamus, quibus à pueritia dediti fuimus, nempe in Hippocratis, Platonis, Aristotelis, Galeni, ceterorumq; veterum Peripateticorum placitis: à quibus nullum non fructum, nullam non vtilitatem & sperare, & capere possumus; qui quoniam concoctionem esse fatentur, quam nullus vnquam Philosophus negare ausit, in eius natura probanda non elaborabo. illud quoque à me minime expectari velim, vt dum de materiæ maturitate in morbis dissero, omnia illius genera diligentissime, copiosissimeque persequar; namque statutum mihi est manere intra fines eos, quos sibi ars ipsa medica pulcherrime statuit: quos cum latissimos habeamus, miror quosdam temere magis fines aliorum inuadere voluisse, quam prudenter intra suos se continere. verum hæc relinquamus, aperiamusque quo pacto omnis nostra disputatio Deo opt. max. & B. Maria N. volente, & adiuuante instituenda, ac distribuenda sit.

Cap. IV; *Viam, ac rationem perscribit & proponit.*

EXORDIAMVR autem à naturæ, calorisque concoctionem, maturitatemque efficientis explicatione; stultum enim esse putamus (quod tamen nonnulli faciunt) aliud naturæ, aliud doctrinæ principium velle statuere. præsertim cum vel Democriti testimonio naturam, & doctrinam rem esse persimilem intelligamus; doctrina enim, quæ secundum rei naturam fit, idem principium cum re ipsa habet; nec potest quisquam, qui recte vel generationem, & ortum, vel administrationem alicuius rei oratione persequi velit, initium commodius quam id, quod verum est, & cum natura illius rei, qua de agitur, cõsentit, reperire.

etenim

etenim, qui de domus ortu disputabit, de fundamentis agere; qui de nauis generatione pertractabit, in carinę mentionem primo quoq; tempore incidere oportebit; eodem modo qui Remp. aut Atheniensium, aut Romanorum sibi proposuerit, aut exercitus illarum administrandi rationem explicare voluerit, tum huius, tum illius originem, & quasi molitionem nouam quęrere necesse erit; & qui denique fluminis ortum vult exequi, eius caput, & fontem aperire oportebit. ergo principio quid sit natura, & quid concoctio, deinde eius differentias aperiemus, & singillatim vniuscuiusque humoris maturitatem explicabimus. absoluta hac parte, de eius notis, & de singulorum morborum maturitatibus agemus. postremo, quæcumque ab Hippocrate in libris De morbis vulgaribus de maturitate morborum tradita sunt, ea omnia cum iis, quæ præcepta sunt, pulcherrime conuenire ostendemus. etenim non modo generaliter disputare, verum etiam singularia oratione persequi oportet; disputationes enim, quæ de naturæ operibus conficiuntur generales, cuncta quidem certe complectuntur, at singulares magis veræ sunt; actiones enim in singularibus obeuntur, ad quæ disputationes omnes transferre, atque illis accommodare necesse est.

CAP. V; *Naturam, calorem, humidum in corporibus reperiri. & quænam ad huius conseruationem comparata sint.*

NATVRAM vero sic definiunt medici: Natura est vis ac facultas prima, & caussa per se, quæ corpus nostrũ primo genuit, deinde conseruat. hæc omnium parés, ac opifex nihil magis expetere videtur, quam vt quidquid genuit, iuuet, ac tueatur, & quoad eius fieri potest, custodiat. hæc eadem nulla ratione prædita in toto fusa corpore, imo vero totum corpus complexu

tenens quicquid efficit, quod fabrica incredibilis eſt, ſumma conſtantia gubernat: & vt diligens paterfamilias omnes interiores corporis partes ſcrutans in ſuum quodque opus ducit ſingula, & concitat; adeo vt fere omnium, quę in corpore aguntur, primo & per ſe cauſſa merito dici debeat. huius natura calidum illud non igneum eſt, ſed innatũ, & craſſius, ac ęthereum, quod in humidum radicitus nobis inhærentem, ac vitalem, ἀρχέγονον à Græcis appellatum olei cuiusdam ſpecie referentem, ſpiritu & calore præditum collocatur; in quo velut etiam in toto corpore cum ita contineatur, vt ab eo ſeparari, ſeiungique poſſit, veriſimile eſt ab alio illud ſumptum fuiſſe, ac veluti extrinſecus acceſſiſſe; qua de cauſſa æthereum belliſſime ab antiquis appellatum eſt. humidum vero in ſolidis corporibus conſiſtens caloris pabulum partes omnes pulcherrime componit, atque conſtituit. & à prima natali die protinus vsque ad extremam ſenectutem perdurat: non quale ab ortu ipſo ſtatim accepimus, verum paullatim primo augetur, deinde paruum, ac exiguum redditur, cuius conſumptione, ac ariditate corpus ipſum quoque marceſcit, ac corrumpitur:

Quandoquidem grandi cibus æuo denique deſit.

id autem corporeum eſt; cum enim animalia gignendi, procreandi, augendi, atque conſeruandi futurum foret principium, illud corporeum eſſe neceſſe erat; nulla enim res eſt, quæ ex nihilo conſtet. eius natura omnis prorſus compoſitionis expers non eſt, quemadmodum quædam corpora ſimplicia apud Phyſicos cõſtituuntur, & appellantur, verum etſi illud ſimplex ſenſu eſſe videatur, cogitatione tamen percipitur confuſum, ac permixtum quatuor elementis; etenim quędam eius pars adeo craſſa conſpicitur, vt terram referre videatur; quędam vero ſunt, in quibus plurimum aquæ, aeris, & ignis ineſſe aperte admodum cognoſcimus, & à ſemine oritur; imo vero ſemen ipſum eſt,

quod

quod & recte natura poteſt appellari. Quod namque ſemen prius erat, id cum primum & gignit, & format animal, natura quædam euadit. illud igitur ſemen ſpiritu & calore præditum, noſtri ortus principium eſt cum menſtruo ſanguine. inde natura tanquam Phidias ſanctus, auguſtusque ad eum perpetuo finem, quem ſibi ab initio in opere moliendo propoſuit, recte atque ordine pergit. illud vero eſt perfectum reddere quicquid genuit, ſiue id ſtirps ſit, ſiue animal. id autem perfectum eſt, cui nulla muneris propria functio deeſſe poteſt. Multæ vero ſunt muneris functiones quæ duris opus habent inſtrumentis: hinc factum eſt, vt multa ab ipſa ſint in noſtri corporibus duriora effecta. eorum autem generationis principium contra atque in animali perfecto molle fuiſſe neceſſe eſt, vt optime continuari, conformarique, & ad omnia efformanti ſequax, & præſto eſſe poſſet. quamuis autem durum ſit ſemen, ex quo plantæ molliores generari ſolent, priusquam tamen id ad plãtam procreandam accommodatum reddatur, moderata humiditate irrigatum eſſe videmus. Porro animalia ab ea, quæ illa genuit, natura calorem illum obtinere, cui humidum veluti materiam quamdam ſubiecit, vt illam augeret, cuſtodiret, & gubernaret, qui optimæ quaſi matri obſequens, nullum eſt tempus, quo illam non tueatur, & amplectatur; non iis tantummodo facultatibus præditus, quibus facile poteſt materiem fingere ac formare, ſed etiam plerisque aliis, qui non vt ignis, qui ligna comburit, atque conſumit.

(Iſthic enim eſt de ſole ſumptus ignis,

vt inquit Ennius) agit in humidum ſibi oblatum, ſed ei alimentum aſſimilat, auget, atque conſeruat:

Omnia debet enim cibus integrare nouando.

ad eius vero humidi vſum, & conſeruationem plura, præclaraque opera neceſſario machinata eſt natura, ſine quibus incolume ſeruari in noſtro corpore nullo

modo potest. principio nonnullas partes molita est; quæ ampla quædam habent itinera; hæc vt spiritũ, quo
„ calor continetur, refrigerent, alterentque, *initium*
„ *enim spiritus nutritionis nares, os, guttur, pulmo, ceteraque*
„ *quibus spiritum recipimus esse* Hippocrates tradit, qui contrario nutritur: illa vero vt cibum, potionemque reciperent, quo humidum augeretur, solidæque par-
„ ticulæ nutrirentur; *initium enim siccæ & humidæ nu-*
„ *tritionis os, gulam & ventrem esse*, memoriæ mandauit idem Hippocrates; quæ contrarium minime sumunt, sed idem nutrimentum. deinde quoniam sapienter admodum multa futura prouiderat, quæ in eius incremento, & nutritione ex iis, quæ animal sumpturum erat, excernere oporteret, quarum alia essent crassiora, alia vero tenuiora, latos quosdam veluti canales effecit, quibus in inferiores partes excrementa crassiora posset emittere; alios autem adiunxit, quorum partem oculis vsurpamus; pars vero oculis exposita minime est, vt scilicet tenuiora quæque facile posset expellere. cuncta quæ Galenus multis, ac multis voluminibus eloquentissime tradidisse cognouimus veluti in conspectum essent mihi adducenda, si omnia naturæ opera, quæ ad huiusce innati humidi vtilitatem, vsumque facta sunt, commode vellem explicare; verumtamen nulla in re ei par esse vllo modo possum.

CAP. VI; *Spiritus calori adiungi oportere.*

CALOR igitur in qualitatis genere receptus sine aliqua sede, ac vehiculo huc illuc temporis momento aduolare non posset, quemadmodum quotidie fieri sentimus non solum in eo calore, qui à corde procedens in ceteras particulas quasi infunditur, verum etiam in ea facultate, quæ ad animum pertinet, quam nerui à cerebro veluti à quodam fonte perpetuo accipiunt. vnde necesse fuit (vt arbitror) hunc vapore

pore aliquo contineri, qui facillime, & celerrime ad quascunque natura vellet partes, posset transmitti; etenim quemadmodum, quod per neruos sentire, & moueri possumus, & quod per arterias, cum attolluntur, ac summittuntur, fuliginosa è corpore expellantur, & caloris refrigerandi caussa aer attrahatur, id omne acceptum referre debemus illi facultati, quæ tum ex corde, tum vero ex cerebro certis quibusdam canalibus emanat, atque instillatur; ita & facultatibus naturalibus quorum natura permanens minime est, qua nutrimentum sibi oblatum adsciscunt, cōficiunt, ac sibi assimilant, opus fuit aliquo, qui materiam suggerens,

(Nam quasi per caulas omnes diduntur in artus
Particulæ.)—

omnibus partibus essentiam earum facultatum, ac naturam conseruaret, ac tueretur. verum nullus humor erat, qui in se mouendo testudineum (vt ait ille) gradum grandire posset: quapropter eo munere fungendo ea potissimum subiecta fuit materies, quæ & in toto corpore celeriter se spargere posset, & societate quadam calori iuncta esset. etenim

Nec calor est quisquam, cui non sit mistus & aer;
Rara quod eius enim constat natura, necesse est
Aeris inter eum primordia multa moueri.

atqui cum huiusmodi reperta sit vaporosa; merito illi tale munus mandatum est, non solum quod cognatione quadam naturæ iuncta calori esset, verum etiam, quod in se mouendo celeritatem vel maximam posset adhibere. hæc vero materies, quæ & ætherea ob functionis præstantiam appellari solet, cum tamen vere non nisi ex re humida permaneat (*Spiritus enim omnes* « *nobis sunt ab aqua*) ab antiquissimis, probatissimisque « omnibus scriptoribus spiritus appellata est. qui & succos omnes, & spiritum frigidiorem attrahit. hic tametsi in omnibus animalis partibus contineatur, non

tamen ſemper, aut omnibus in locis ſimilis, aut idem eſt, velut etiam nec ſanguis, ex quo tum ſingulæ particulæ, tum hic idem ſpiritus alitur, ac exoritur, idem aut ſemper, aut cunctis in partibus reperitur; ſed nunc eius maior, nunc minor quantitas inuenitur; modo ita cõmutatur, vt materia, ex qua illum penitus effici dicebamus, verſatur; easdẽ enim quas ſanguis excipit qualitates, nunquam vero totus abſumitur, vtpote quod eo ipſa animalium vita teneatur; hic, nullo negocio calidior eſſe intelligitur; facile enim eſt coniicere (vt ait ›› antiquiſſimus auctor) *ſpiritum calidum eſſe, & ignis* ›› *qualitatem quamdam obtinere.* qui in corde, & arteriis eſt, vitalis ſpiritus appellatur; eſt enim cor ſicut arteriarũ, ita & vitalis ſpiritus, feruentisq; ſanguinis fons, & origo. qui in cerebro continetur, præſertimque in eius ventriculis poſteriori ſcilicet & medio, animalis nominatur; is vero qui in venis, & iecor continetur, naturalis dicitur.

CAP. VII; *Spiritum naturalem eſſe & qualem, & de vaporibus.*

IAM ſatis (ni fallor) à Galeno duo prima ſpirituum genera firmiſſimis rationibus dari probatum eſt, cuius orationi mihi ſuccedendum non eſt, quod hoc proprium, hoc ſatis eſſe huic tractationi arbitremur, ſi naturalem ſpiritum dari tantummodo comprobemus; ex cuius materia perfectius concocta, & latius diffuſa, ac diſſipata vitalis primum oritur, deinde ani- ›› malis; *circuitus enim huiuſcemodi multis in rebus,* (vt ait ›› Hippocrates) *ad hanc ſcientiam maxime pertinentibus* ›› *commodi atque apti ſunt*; vt quod dictum eſt, & ſanguis menſtruus, qui primo quoque tempore fœtum alit in vtero; idem vbi infans in lucem editus eſt, ad mammas concurrens in lac euadit. quod è papilla candidum profluens infantem nutrit. eſt etiam pulcherrima quędam

dam rerum ſeries,& ordo naturæ in fœtu procreando maxime perpendendus, qui viuit primo vitam plantarum,deinde vitalem, poſtremo animalem degit.alitur autem & gignitur (vt diximus)ſpiritus naturalis tum ex vapore,& quaſi exhalatione ſangninis,tum vero ex aere; *omne enim calidum*, (vt ait Hippocrates)*frigido moderato alitur.* & paulo poſt: *Quæcunque caleſiunt ſpiritum emittunt, & alium frigidum viciſſim eius loco attrahunt,à quo nutrimentum aſſumunt.* &; *Alimentum calidi frigidum eſt; verum hoc pauco, illo plurimo vtitur.* Scripſimus ſpiritum vna & eadem materia ali, & gigni; quoniam vnumquodque ea ipſa natura, quâ primum genitum eſt, ali etiam perpetuo conſueuit. alimentũ autem ſpiritus eſſe teſtatur quoque idem Hippocrates, *Initium alimenti ſpiritus nares,os,guttur, pulmo,& reſpiratio,quæ reliqua eſt.* adiunximus pauco aere vti, quoniam ad huius naturalis ſpiritus modum,& qualitatem potius temperandam,& (vt ita dicam) cuſtodiendam quam ad eum nutriendum accedere videtur, vtroque autem illum firmiſſime ſuſtineri affirmamus. Spiritus hic cum nimium vaſa relaxantur, aut exinaniuntur, facile euadit, ac nihilum recidit; cum autem eadem immodice replentur, ac diſtenduntur, arctius continetur.quamobrem in quadam mediocri, definitaq; laxitate conſtent vaſa neceſſe eſt, ſi modo aditus patefactos eſſe velimus,quos viſcera repleta prçcludunt. grauius vituperandi ſunt quidam hac noſtra ætate medici,qui hunc ſpiritum omnino reiici debere affirmant, qui tametſi de ipſo apud Galenum teſtimonia haud obſcura reperiantur, illum malunt è corpore exterminare, penitusque delere, quam antiquorum decretis conſentire. at debuit, inquiunt, Galenus de hoc, quemadmodum de ceteris apertius pertractare; næ multis modis iſti ridiculi ſunt, qui de eo, quod ratione per nos ipſi inuenire poſſumus, teſtimonia flagitant antiquorum.teſtimonia queris ſcilicet;eſt enim

obſcura hac de re ſententia Galeni, qui ſpiritum naturalem dari aperte aliquando teſtatus eſt. *Si naturalis,* ,, inquit, *ſpiritus eſt, ſcilicet is in iecore, & venis continetur.* videtur ſtatim, inquies, dubitare. erras, non dubitandi cauſſa id dicit, ſed quod minime proprium nactus erat locum agendi de ſpiritibus: quod etſi apertum ſit, ipſe tamen docet. etenim loca etiam citat, in qui- ,, bus de ſpiritibus verba facit. Subdit autem: *ſane di-* ,, *ctum eſt fuſiſſime de virium natura* (vocant autem vul- ,, go eſſentiam virium ſpiritus ipſos) *in libris, quos De* ,, *Hippocratis, & Platonis dogmatibus perſcripſimus.* in quibus tria corpus noſtrum regentia eſſe probauit, in quorum numero iecur ipſum aggregauit. hac Galeni ſententia cognita, dubitaturne de Hippocratis opinione? at is aperte monuit omnia in omnibus eſ- ,, ſe. pergit vero Galenus: *atque arteriæ quidem tenuem,* ,, *& purum, & vaporoſum habent ſanguinem, venæ autem* ,, *paucum, eumdemque caliginoſum aerem, id eſt ſpiritum*; alterum enim pro altero vſurpari ſæpiſſime cognouimus. nunc quoniam ſatis (vt arbitror) demonſtrata eſt Galeni ſententia, ad rationes veniamus, à quibus qui diſcedunt, fontem ipſum Philoſophiæ ſane perturbant. Si igitur tria ſunt, quæ corpus regunt, ac gubernant, cor, cerebrũ, iecur, quorũ quodlibet continet propriam facultatem, ac inſtrumentum; cerebrum animalem ſpiritum; cor vitalem; iecur quoque ſuo proprio inſtrumento præditum eſſe debet. illud autem aliud nullum obtinere poteſt, niſi ſpiritum naturalem. Præterea vbi ſpiritus naturalis opera perſpiciuntur, ibi ſpiritum eſſe conſtituendum eſt; at in partibus naturalibus munera ſpiritus obſcuriora minime ſunt; fruſtra omnino iecur alimentum accommodatum procrearet, niſi eſſet aliquod quod illud ſingulis partibus impertiret. quorum natura velut in ceterorum corporum naturalium, permanens non eſt; vtpote, quod continenter defluat: quamob-

rem

rem necesse fuit aliquo, quod fluxam naturam subministraret. illi vero muneri fungendo aptissima reperta est tenuissima (vt ita dicam) & aerosa essentia: huiuscemodi autem est vapor, siue exhalatio, quæ ex sanguine profunditur: appelles autem per me licet vel sanguinis attenuationem, vel aerationem, modo id intelligas eum neque animalem esse posse; huic enim in capite sua sedes assignatur, atque eo deficiente non modo ignorationem omnium rerum subsequi videmus, verum etiam corporis motus, & agitatio nulla est: neque vitalem, quoniam hic non nisi in corde, & arteriis continetur, atque eo vehementius oppresso animal protinus interit. Spiritus excitantur propter feruorem atque æstum sanguinis in iecore, vnde vapor quidam sursum fertur, qui dein in ipsis iecoris venis elaboratus, tandem euadit in ignem, & aeream quamdam naturam, quam spiritum naturalem vocamus. hic sanguinem tenuiorem reddit, atque eundem momento temporis impellit, per vasa modo huc, modo illuc ad omnes scilicet corporis particulas. idem vbi per venas ad cor peruenit, ibidem ab eo exornatus, id est, attenuatus, & rarior redditus, in spiritum vitalem euadit. tandem arteriis conclusus maxime calentibus atque cerebrum petens tamquam fumus quidam emissus, ibi quoque expolitus, id est amplior factus, animalis spiritus emergit, quod primum rationalis animæ instrumentum esse dicitur: vapor quidam præterea à calore naturali excitatur ex optimo sanguine, & pituita: qui cum natura crassiori, atque halituosa præditus sit, & temperatus in sanis corporibus & pueris halituosus, suauis, lenior, ac benignus sentitur cum abundat (redundat autem nunquam, nisi cum sanguis superfluit) plethoricum quemadmodum & sanguis corpus ipsum reddit; & nisi protinus detraheretur, homo in febrem cõtinuo incideret: vacuum fit corpus ab eo, cũ cutis rarior fit; illico

enim transpirat, atque ad nihilum plane redit. hic si desideratur, aut si exhauritur (quod inedia nunquam non euenit) totum corpus, vel eius pars, quæ hoc vacua, atq; nuda est, frigidior subinde euadit, vaporem hunc benignum arteriæ attrahunt à venis, cum explicantur, & spiritu semper, excepto omnium quæ in corpore reperiuntur, tenuissimus est. tertium locum tenet sanguis. vapor igitur est humor attenuatus à calore, aerea, & ignea natura crassior, quæ & naturam spiritus constituit. ex materia humidiori concitatur, non adeo tamen densa, & coacta, vt vaporosus halitus. sensim igitur calidioribus redditis succis, atque liquatis halituosus vapor exoritur; qui cum secundum naturã se habet, copiosior reperitur; à calore vero præter naturam, aut humoribus vitiosis, aut à cibis malis excitatur acris, mordax, ac fuliginosus vapor; ex cibis enim concoctis extruditur non modo siccum, sed & humidum, & halituosum excrementum. quod à visceribus calidioribus concoquitur, id est lenior redditur; & quod vtile est, ad venas detruditur; quod alienum est, in locis præter naturam consedit, qui non amplius vapor, sed spiritus appellatur turbidus, crassus, caliginosus, ac flatulentus: qui corpora, quæ tenet, distendit, & nonnunquam etiam plane rumpit. ex tarditate quoque concoctionis fumidus quidam vapor excitatur, & frigidus halitus, qui omnino paucissimus est. fumidos appello, quod fumus non nisi ex semiustis materiis, fuligo ex immodice assis concitantur. in febribus solent erumpere multi fuliginosi vapores, quos contractio arteriarum depellit. tactu nullo negocio cognoscuntur. idem calor præter naturam spiritus, aut flatus, aut fumum, & fuliginem procreat, quod in insanientibus sæpe notaui, in quorum sanguine, cum feruor quidam reperiatur, flatuosam, vaporosamque materiam quamdam nunquam non affluere perspicimus. animaduerte & in intemperie præter naturam fuligi-

fuliginoſos halitus, fumidosque coaceruari. ab iis, quę calefaciunt, vapores extrahuntur; ab iis vero quæ exſiccant, in halitum corpus digeritur. Spiritus vapores transmittunt; & detractione ſanguinis plus vaporum quam ſpiritus diſſipatur. ſanguis autem nunquam non ſine ſpiritu, & vapore eſt. Spiritus ſi craſſiores, & vaporoſiores reddantur, corque occupent, palpitationem concitabunt. ſi vero colli muſculos corripient addito præterea aere craſſiori tetanum excitabũt ex ſententia Pelopis. Si iecur nebuloſi ſpiritus, & qui difficilius concoquantur, obſidebunt, obſtructionem facient, quod ex Aetii monumentis facile poſſumus colligere, qui aquarum calidarum aerem fuliginoſiorem veſicę ſenſus obtundere teſtatur; quippe qui attenuatis, ac ſegregatis craſſioribus humoribus, ſanguinis vapores dilucidiores ac puriores reddat. hæc vero ex Galeni, & præſtantiſſimorum medicorum monumentis diligenter eruimus. Stoicos omnino omittere conſilium eſt, qui ſpiritus omnes aut humidiores, aut ſicciores eſſe cenſent. Spiritus ſiccior ex illorum ſententia animus eſt, quo ſapimus; humidior natura eſt, quam calorem naturalem omnes eſſe aſſerimus. & de natura, calore, ac ſpiritu naturali ſatis hoc loco dictum ſit. nunc ad concoctionem veniamus, cuius cauſſa hæc ſunt à me longioribus ſane verbis explicata.

CAP. IIX; *Duplicem calorem reperiri, atque de eius motione.*

QVI vero recte, atque ordine de concoctione diſputare ſtudet, eum non ſolum quid ſit concoctio demonſtrare oportet, verum etiam qua nam ratione adminiſtretur, & quibus nam in locis perficiatur, oſtédere neceſſe eſt. plura eſſe motuum genera apertiſſime omnes cognoſcunt. vnum ex voluntate, alterum ex appetitione cietur; manifeſtum eſt enim alias eſſe

motiones dum brachia, aut crura vel proiicimus, vel contrahimus, dum ambulamus, dum currimus, dum ſtamus, dum ſedemus; atque dum cor, & arteriæ mouentur. ab hiſce rurſus diſiunctum genus motus eſt, quod in alimenti concoctione, ac diſtributione, quam οἰκονομίαν Græci vocant, conſiſtit. omnis autem concoctio à calore perficitur, qui duplex generi animantium tributus eſt. alter elementalis vocatur, qui qualitas quædam eſt elementorum calidiorum; quæ infracta ac retuſa, æquata, & denique (vt ita dicam) menſurata cauſſa eſt, vt quædam in mixto conſtituatur forma, quæ à iunioribus Medicis, & Philoſophis complexionalis appellata eſt. hic calor in iuuenibus & ætate confirmatis, nec non prouectioribus in dies magis maior redditur, vnde aduentitius merito dicitur, & innato opponitur. in febribus adeo ſolet augeri, vt ægroti ardere aliquando videantur. idem in cadaueribus quoque conſeruatur. alter vero non niſi in viuis animantibus reperitur, atque in iis, quæ perfectiora ſunt, commode ſenſu percipitur, vt in homine, boue, & leone. in quibusdam autem aliis ſenſum noſtrum plane fugit, vt in piſcibus, reptilibus multis, Salamandra, & aliis, atque aliis, quæ hoc loco longum eſſet enumerare. calor hic à Theophraſto inſitus, ab Ariſtotele genuinus, à Galeno vero innatus appellatus eſt. hic idem natura quoque dicitur, quæ eſt ſolidorum corporum vis, ac facultas, quæ fuſa per ſolida corpora nihil niſi concoctionem efficit. coctum vero à cogendo dicitur, quia cogendo coercetur, ac coarctatur, atque ad nutriendi vtilitatem perducitur: natura autem ſolidorum corporum proprietas eſt temperamenti; hinc temperamenti proprietate paullulum immutata. concoctiones recte atque ordine minime conſequuntur; & cum ſolidiores partes male ſe habent (quod accidit, cum morbus in habitu eſt) tunc nulla eſt amplius expectanda concoctio;

eadem

eadem temperamenti proprietas vltro, citroque versatur à calore, frigore, humiditate, & ſiccitate: quæ qualitates nullo negocio turbare poſſunt totam eorum naturam. calor natura quædam eſt, quæ ipſa à ſe mouetur, nec aliunde agitatur, ſemperque mobilis eſſe dicitur. qui non ad interiores tantummodo partes mouetur, neque exteriores tantum petit, verum alius alium motum ſemper ſequitur; etenim ſi interiorem tantummodo motum nactus eſſet calor, repente finem haberet, ac quieſceret, & mature animantium conſequeretur interitus. Sin tantum extra corpus moueretur, protinus refrigeraretur, ac extingueretur, qui modo vtroque motu donatus in nobis quamdiu poteſt remanet accenſus. accenditur autem cum interiores corporis partes occupat, vt alatur ac conſeruetur; nam quemadmodum ligna ignem, ſic ſanguis calorē in nobis incluſum ſeruat, ac tuetur. hic motus duplex nomen obtinuit; etenim alter primus, alter ſecundus à iunioribus eſt appellatus; namque aut ab exterioribus partibus ad interiores mouetur, aut ab interioribus ad exteriores fertur. cum redit ad interiores partes, ſecundus vocatur motus; cum vero ab interioribus remouetur, primus dicitur; idque merito ſuo. etenim ea eſt propria calidi natura, vt & cuncta ſeparet, diuellat, diſtrahat, rariora efficiat, & ſemper ſurſum, atque extra moueatur. cum vero intra mouetur, ac quaſi retrocedit, cibi per eum concoquuntur, corpus alitur, atque augetur. quod ſi quà calidus eſt intus reperet, breui moueri deſineret. calor hic multis nominibus igni comparari recte poteſt, duabus tamen in rebus ab eo maxime differt. & quod craſſiori præditus ſit natura, ac (vt ita dicam) halituoſa; & quod adeo infirmus ſit, vt non facile commutet, quicquid contingit; neque enim quaſi ignis cuncta non modo tepefacere, verum etiam comburere, ac in ſui naturam conuertere poteſt.

CAP. IX; *Concoctionem naturæ beneficio perfici; & naturam ratione præditam minime esse.*

PRÆCIPVA vero, & quæ natura duce fit muneris functio in animantium corporibus concoctio est, quæ ſpiritus, calorisque naturalis opera maxime perficitur; in qua ita verſatur, & adeo vterque aſſiduus eſt, vt nunquam alimentum non terat, moueat, agitet, in omnes partes impellat, nec in vlla diutius morari ſinat parte, donec in corporis naturam egregie conuerſum ſit; etenim

Diſſipat in corpus ſeſe cibus omne animantum.

de arboribus hæc idem Phyſicus, & poeta ſenſit, ac cecinit;

Quod cibus in tota vsque vel ab radicibus imis
Per truncos, & per ramos diffunditur omnis.

nunquam vero euenit, vt duo corpora in mutuum quaſi congreſſum veniant, quibus quieſcere liceat à moleſtiis. itaq; natura comparatum eſt, vt ſemper fortius & validius, alterum quod imbecillius eſt, vincat atque ſuperet. omne autem quod mutatur, in mutantis ſimilem ſpeciem euadit; etenim vnumquodque membrum ſuccum, quem attraxit, alterando, & immutando ſibi præparat, & naturæ ſuæ quam ſimillimum reddit; nam vnaquæque corporis noſtri pars, ſiue membrum, quod compoſitum ſit, ex ſimplicioribus quibusdam particulis proprium quoddá nactum ita eſſe dicitur, vt nihil cum eo aliud plane congruat. ſic ventris corpus proprium quoddam, diuerſumque ab aliis omnibus obtinet. Sic lienis, ſic cerebri, ſic renum: lingua etiam, nec non oculi, & veſicæ, & vteri eodẽ modo ſe habẽt. vnde fit, vt præcipuam quamdam præter cetera muneris functionem adepta ſint, quæ ex propria naturæ ſpecie ortum habet. Hinc Lucilius,

Vis eſt vita, vides. vis nos facere omnia cogit.

contrahitur ventriculus ad cibos, ex quibus accommoda-

modatum ſibi alimentum elicit, amplectendos quibus ſatur factus, quicquid ſuperat, in ieiunum extrudit inteſtinum. moram vero aliquam interponit in ventriculo ea ciborũ pars, quæ craſſior eſt. tenuior autem ad ieiunum inteſtinum perpetuo transcurrit, à quo per meſaraicas venulas iecur illam attrahit. atque hac ratione pedetẽtim pars ſuperior ventriculi exhauritur. atq; idcirco ſpatio VI. aut VII. horarum cibis egemus, atque illos eo fere tempore concupiſcimus. Sumit inde iecur quicquid appetit, & ſibi ipſi ſimile facit, hoc eſt carni, & naturæ ſuæ, quæ à quibusdam medicis Parenchyma appellata eſt. & quemadmodum ventris reliquiæ ad iecur alendum fuerunt aptiſſimæ, ſic iis, quæ iecur reſpuit, ceteræ complentur particulæ. Sunt vero variæ, quæ ab ipſo manant, ac fluunt. hæc, quæ depellit iecur, appetunt, ac ſumunt; tum deinceps ex his aliæ atque aliæ; atque hoc tantiſper dum in cetera animalis membra alimentum deferatur, atque deducatur. atque ita accidit, vt frequenti illa, ac perpetua (vt ita dicam) rerum commutatione ac conuerſione vnumquodque membrum alteri materiam præparare, ac prope coquere videatur. cum tamen multo aliter ſe res habeat; nam nullum membrum alterius cauſſa nutrimentum immutat: ſed ita cadit, atque euenit, vt dum immutatur alimentum, continuo reddatur aptiſſimum ad cetera membra nutrienda; neq; enim, quæ agit natura, intelligit; multo minus artificum exemplo imaginem, ac ſimulacrum eorum, quæ effectura eſt, ſibi proponere ſolet; etenim facultas ratione minime prædita eſt. quæ principio motum ciens in materiam, quæ flexibilis, ac commutabilis eſt, & quam ipſe mouet, nihil præter formam ſpectans, poſt primum motum, qui ordine & numero nititur, alium ciet; atque hoc tantiſper dum eius ſimile factum ſit, cuius principium initio iniectum ſit, quod vel ſpecie, vel genere ſimile eſt, vt in iis animalibus protinus ob-

seruamus, quæ ex dissimilibus generantibus, vt mu-
» læ. itaque Hippocrates; *Omnium naturæ nulla vnquam*
» *doctrina exculta sunt.* & alibi: *Natura ipsa nihil eorum,*
» *quæ agit intelligens optime suis fungitur muneribus, vt*
» *conniuere, atque ea, quibus lingua præseruit*, & alia mul-
» ta: *natura enim nunquam erudita, & instructa ita agit,*
» *vt ei maxime conuenit.* verumtamen alimentum non illico perficitur, neque statim arripit corporum similitudinem, sed tempus, multarumque virium operam maxime postulat; principio enim mutari, deinde expurgari, deinde digeri, postremo ad partis, cui adhærere maxime vult, similitudinem necessario accedere debet.

Cap. X; *Concoctionum tres esse differentias.*

IN huiuscemodi longa veluti rerum serie multæ consequuntur concoctiones, varii gignuntur humores, & quædam superesse necesse est, quæ corpus nutrire nullo modo possunt. namque hoc alimentum veluti materies artifici subiecta est, in qua expolienda, exornandaque suas vbique natura exercet vires, nusquam cessat; etenim vnaquæque corporis particula propriis ornata adiumentis id vnum prouidere, & in eam curam incumbere videtur, vt alimentum probe conficiatur, concoquatur, & particularum similitudinem arripiat. quæ res à calore perficitur innato, atque ea proprie, & vere concoctio nominatur. ceteræ concoctiones quasi gradus quidam, atque aditus ad perfectam, atque absolutam esse intelligimus; alterius enim gratia fiunt, & quædam huius, de qua verba facimus rudimenta existunt, quę antecedere non modo in hac, verum etiam in reliquis duobus concoctionum generibus deberent; quarum altera in ventriculo, altera vero in iecore perficitur. illius quædam in ore præcedit præparatio, in quo non atteritur modo cibus, & mollitur,

litur, verum etiam mutationem quamdam ſubit; acetum enim quamuis acerrimum, ſi ore diutius contineatur, nonne ardorem illum protinus amittit? quid vinum, quid cetera commemorem, quæ excellentem etiam aliquam obtinent qualitatem? nam veluti piſtores panem concoquere dicuntur, nō cum triticū pinſunt, ac conterunt, ſed vbi id fermento permiſcuerint, ac dein tamdiu texerint, ac fouerint, donec perbelle fermentetur, & in furno denique illum torruerint; ſic quæcunque ventriculus ad ſe rapit, non ſimul atq; deuorata ſunt, illico concocta eſſe dicimus. quare ſicut in panibus qui modo à nobis edendi ſunt, neceſſe eſt triticum mutationem quandam ſubire, vt rei maxime diſtantis cognatio nobis naturalis intercedat; ita & quæ per ſtomachum in ventriculum delapſa ſunt, in ea cōſentientem coagmentionē, quæ partibus eis quæ poſt illum nutriri debent, commode congruant, conueniant, ac commutentur, oportet. recte igitur Lucretius;

Vt cibus in membra, atque artus cum diditur omnes
Diſperit, atque aliam naturam ſufficit ex ſe.

neque vero ventriculi tantummodo calor, ſpiritus, & cuncta eius natura, quæ propria illius humiditas eſt, cibos vltro, citroque verſat, verum etiam pituita, & bilis, quę nunquam non in illo reperiuntur magnam earum qualitatum commutationem afferunt. huius chylum, qui ſuccus ptiſanæ cremori perſimilis eſt, propria quędam iecoris vis, ac facultas, quæ in eius natura poſita eſt, in veram ſanguinis formam conuertit. illius excretum ſtercus eſt, ὑπόχωρημα, καὶ σκατὸν à Græcis appellatur, huius vero vrina, quam renes attrahunt; melancholicus humor, quem lien rapit; & flaua bilis, quæ in veſicula ſeruatur. Chylo vel alitur, vel certe gaudet ventriculus; ſanguine iecur; vrina renes, melancholico humore naturali lien nutritur. bilis vero pars quędam cū ſanguine fluit, pars vero ad fellis veſiculā allabitur. illa cauſſa eſt, vt ſanguis expedite per venas peruadat;

tenuiorem enim eum reddit; hęc vero & veſicam illam nutrit, & vni illi acceptum referre debemus, vt iniecta quotidie corporis noſtri ſentina totum recreetur corpus. vtræq; cōcoctiones in cōmunem totius corporis vſum comparatæ ſunt. at tertia vnicuique parti cōuenit, vni ſibi neceſſaria requirens ac parans, de ceteris minime laborans. in febribus ſi neque ventriculus, neque iecur propter infirmitatem recte cōcoxerint, non modo aſſumpti cibi nulla eſt vtilitas, ſed etiam ex ventriculo ab humorum corruptela vexato extruduntur, quæ maxime alere poſſunt; ita fit, vt nec ex cibo aſſumpto ægrotus nutriatur, & nōnihil etiam eius, quod iam confectum eſt, iacturam faciat. huc accedit, vt febres increſcant, & ſucci vitio putredo magis incēdatur. ſed hæc curationem fere attingunt. Mammæ, & quæcunque in eis reperiuntur glandulæ attracto ſanguine nutriuntur; ex eo, quod ſuperat, lac generatur, quo fœtus deinceps alitur. Teſtes quoque ſanguine nutriuntur, verum in adultioribus, robore præſtantes ſemen plurimum gignunt; ex quo coniunctionis appetitus, procreandiq; cauſſa accedit. extrema hæc concoctio hoc pacto perficitur: humor in exilioribus exiſtens venulis tamquam ros cōcretus guttatim deſtillat, ac in partes concidens apponitur, affigitur, ac par denique & ſimilis redditur; huiuſce quædam quoque ſuperuacanea ſunt, in quorum qualitatibus caloris innati opera elucet. quędam vaporis ſpecie exhalant, ac pilos generant; quædam craſſiori natura prædita ſunt, & ſordes appellantur, quæ ex corporibus radi ſolent; quædam vero ſunt ſeroſorum humorum reliquiæ, ſudores vocantur: hæc, quod nullo negocio excerni poſſunt natura nullas vias, aut vaſa ampla, & latiora comparauit, quemadmodum ceteris, quæ excerni ſolere antea demonſtrauimus; ſed ſpiramenta tantum relicta ſunt, per quę facile poſſet extrudi quicquid tum ab arteriis, tum à venis emanaret. in priori concoctione

vias

vias amplas instituit; quoniam materia crassior erat, intestina scilicet, & vesiculas in secunda multo angustiores, quod natura magis, ac magis esset expurgata. neq; vero sum nescius quosdam quatuor in corporibus constituere concoctiones; qui quoniam à Galeni sententia longe absunt, idcirco à nobis reiiciendi sunt, qui hac in re Galeni sectatores esse volumus.

CAP. XI; *Concoctionem in humido commodius perfici.*

HÆc concoctio, quemadmodum & ceteræ, elixationi simillima est, in humido enim absoluitur; quapropter calor is optime eam perficiet, qui humiditati maxime coniunctus est; alimenta enim, quæ à corpore humidiori, veluti nostrum est, confici debent, si & ipsa humidiora sint, facilius co hærere, ac congruere possunt, quam quæ sicciora, quæ vehementius, omnino naturæ repugnant. præterea quod humidum est, ac mollius, humido & molli facilius inhærescit, & nullo negocio id, quod huiusmodi est, in totum corpus defertur. argumento sunt pueri, qui cum virtutes corporis robustiores obtineant, & corpus nacti sint calore, & humore maxime affluente, celerrime concoquunt, & plurimum nutriuntur. vnde illud Hippocratis: *alimentum humidum facilius commutatur, quam* " *siccum.* & paullo ante; *leuiter putrefactum præberi*, de- " bere tradit. quare ad concoctionem aptissima habentur, quæ humidiora potissimum sunt; etenim quæ sicca sunt, difficilius formam aliquam accipiunt, & difficilius cohærent, & cum ceteris congruunt. quod & vidit Hippocrates, cum hæc scripta reliquit: *alimen-* " *tum quod ægre alteratur, ægre consumitur; quod facile* " *apponitur, facile absumitur.* ac tametsi illud verum esse " sentiamus, quod calor aridior duriores, & grauiores cibos facilius, & melius multo concoquat, quam humidior, quod & obseruauit idem Hippocrates, cum il-

„ la protulit: *ſiccum alimentum facilius transmutatur*
„ *quam humidum.* quod in iis, qui conſiſtenti ætate ſunt, perſpicue videmus; illi enim carnem bubulam nullo negocio concoquunt, quam paruuli aut non poſſunt, aut certe difficilius multo cõcoquunt. vnde illud præ-
„ clarum Hippocratis. *iis, qui in vigore ætatis conſiſtunt,*
„ *impermutabilis.* non continuo tamen affirmandum eſt calidi virtutem maiorem eſſe in iuuenibus quã in pueris; non enim caloris functiones tantummodo inter ſe conferendæ ſunt, ſed quà circa propria agunt alimenta, & (vt ita dicam) propria verſantur obiecta; puerulorum enim alimenta humidiora ſunt; naturę namque eorum congruentia deliguntur, in quorum cõcoctione à iuuenibus minime ſuperãtur. humiditas vero non modo ad concoctionem, verũ etiam ad incrementum plurimum intereſt. ciborum varietatem, præſertim ſi diſſimilibus præditi ſint facultatibus peſtiferam, nocentiſſimamque eſſe nemo eſt, qui iam neſciat: ea perturbationem affert; nonnulli enim reperiuntur cibi, quos habere videmus quaſi aculeos, quibus ventriculum pungunt, ac ſtimulant; quidam ſpiritum emittunt, atque idcirco inflant. omnes fere pugnantibus inter ſe partibus & qualitatibus conſtant, quod egregie & in lenticula, & in braſſica quotidie animaduertimus.

CAP. XII; *Concoctionem à calore perfici, & alterationem conſequi.*

CONCOCTIO autẽ alteratione perficitur, & quiete, non motu abſoluitur, vt nonnulli arbitrati ſunt; motus enim, vt alimenta in ventriculo probe miſceantur, cauſſa eſt, non vt cibi concoquantur: etenim motu cõcutiuntur, quæ in ventriculo ingeſta ſunt, quamobrem deiectionem quoq; moliri dicitur motus. & quæ ſolidiora ſunt, & duriora cum mollioribus motu permiſcentur. huc accedit, quod leuiora nunquam deſcenderent, niſi cum grauioribus mixta eſſent motus benefi-

beneficio, quare motus ex euentu potius quam ſua vi concoctionem adiuuare neceſſe eſt; frigiditatis vero opera in huiuſcemodi re nũquam vtitur natura, quæ ſi quando vrget, concoctioni ſummopere officere ſolet; quemadmodum & calor copioſior, qui tantum abeſt, vt concoquat, vt etiam valde humores adurat. at Hippocrates in ſenectute concoctione morbos quoſdam abſtergi auctor eſt; quæ denſiores, ac craſſiores reddit humores. reſpõdetur: frigiditatem calidiorem intemperiem opprimere. ea dein extincta virtus quæ concoquit, validior euadit, & materiam morbum facientem ad maturitatem perducit. quæ concoctionibus ſuperfluunt, excreta vocantur, quæ ciborum reliquiæ ſunt, quas extrudit natura conſeruationis totius gratia. excretorum autem quędam ſunt ſubtiliora, quędam magis corporata. corporata autẽ ſunt ſtercus, vrina, muccus ex narib. ſputa, aurium ſordes, & lacrimæ. tenuiora vero ſunt vapores, quos ne oculis quidem cernimus, ſordes, & ſudores. horum quædam ſalubria ſunt, quæ naturam maturitatem moliri ſignificant; quędam neutra, quæ neutrum vincere, ac ſuperare oſtendunt, quædam plane peſtifera, quæ cruditatem indicant, de quibus in II. huiuſce tractationis libro à nobis copioſius dicetur. tres illæ à nobis antea commemoratæ cõctiones, quę in corpore noſtro perficiũtur, tametſi inter ſe coniunctiſſimæ ſint, non tamen aliæ aliis prodeſſe poſſunt. ſecunda enim concoctio primæ peccata minime corrigit, nec tertia ſecundæ. ſanguis, quem vena caua ex gibbis iecoris attraxit, qui ſeroſo humore expers omnino non eſt, in ſanis etiam hominibus totus partibus ſimilibus minime conſtat; ſed quædam magis, quædam minus ab innata iecoris caliditate ſunt concoctæ; nam quemadmodum partium alimenti quædam pulchre coctæ ſunt in ventriculo, quædam vero ſemicoctæ; ſic multa in iecore reſtare neceſſe eſt, quæ perfecte in ſanguinem verti

omnino non potuerint, quamuis ab ea facultate, quæ ſanguinem gignere poteſt, victæ ſint, ac ſuperatæ. eam igitur alimenti partem haud perfecte in ſanguinem verſam, cum per venas, & arterias diducitur, non modo diuiditur, ac diffunditur; verum etiam quamdam ſimilitudinem, ac ſpeciem veri ſanguinis gerere maxime veriſimile eſt, quæ eſt à propria vaſorum alteratrice virtute, quæ in eorum tunicis ex proprio eorũ temperamento exorta eſt, illorum nutritionis gratia conficitur, ac quoad eius fieri poteſt, ſibi ipſi ſimilis redditur; omne enim quod ab altero mutatur, in alterantis ſpeciem mutatur;

Ergo omnes natura cibos in corpora viua
Vertit; & hinc ſenſus animantum procreat omnes;
Non alia longe ratione, atque arida ligna
Explicat in flammas, & in ignes omnia verſat.

nam quemadmodũ ignis ex ligno in ſimilem ſibi formam mutato & generationem ſimul & alimentum ſumit; ſic plantæ, ſic animalia, & partes eorum ex ſibi ſimilibus alimentum accipere videtur. illud argumento eſt, quod excreta, quæ ex illis ſemi-coctis profunduntur, quam ſimillima eſſe videntur corporibus quæ illis aluntur, & quorum alimenta eſſe dicũtur. verumtamen cum ſanguis ille in venarum nutrimẽtum verti nequeat (nam neque paullo ante in ſanguinem perfectum euadere potuit) idem tanquam ſuperfluum, ac alienum à natura aſpernatur, ac depellitur. & quoniam ad eum extrudendum nulla commodior data via eſt, quam quæ ad veſicam pertinet, quaque renes ſeroſam ſanguinis partem continenter allicere, ac attrahere ſolent, vaſa quoq; eademmet via onus abiiciunt, ac profundunt. quod cum tãquam ſuperuacaneum à renibus ferri non poſſit, cum vrina ad veſicam deiicitur, in qua ſedimenti formam, colorem, ac figuram ſuſcipit. Ergo quicunq; dixit cõcoctionem alterationem quamdam à naturali calore perfectam, & nutrientis in propriam quali-

qualitatem eius, quod nutritur, mutationem eſſe, recte, atque ordine definiſſe arbitror; ad mediocrem vero temperiem cuncta perducit concoctio. alterationem autem rem affectam, ac tractatam aſſimilare ei, quod agit, ac efficit, nemo plane neſcit. agunt vero potiſſimum vaſa, ac receptatricia loca; quæ, quæ alere debent, ad vſum, vtilitatemque ſuam perducere perpetuo conantur.

CAP. XIII; *Alterationes triplices eſſe, atque in concoctione inter id quod concoquit, & id quod concoquitur, ſimilitudinem quandam intercedere.*

ALTERATIONES, quæ in animantium corporibus notantur triplices ſunt; quarum vna ſecundum naturam dicitur, in qua abſoluenda duo conueniant, neceſſe eſt. alterum vt in materia naturæ neceſſitudine aliqua coniuncta, alterum vt ab ingenito calore perficiatur, veluti chylus in ventriculo conflatur non ſolum ex materia accõmodata, verum etiam à calore innato cõmutatur. ſic in iecore ſanguis gignitur; ſic in venis ſuccus quidam fit, ex quo partes omnes poſſunt commode nutriri. nutriuntur autem cum aliẽtum in totum corpus diſtribuitur, & per illius quaſi canales diducitur. alimentũ ſpiritus circumfundunt, à quibus ad vltima quæque primum perducitur; deinde diſſipatur, ac diſpergitur. altera vero eſt plane præter naturam, quæ cum in vnam formam minime cadat, tum vero alienas etiam qualitates affert. atque in putreſcentibus omnibus fit ab aliena caliditate, ex qua ſubſequitur partium corruptio, atque humidi à ſicco diſiunctio, ac diſtractio. eadem caliditas, quæ in febribus maxime dominari ſolet, ſi humores mutat, deteriores continuo euadunt. putredo namque res, quas occupat, diſſimiles facit; etenim quæ paullo ante

coniunctiſſima, ac ſimillima eſſe videbantur conco-quentib. hoc eſt ſolidioribus corporis partib. excitatis cauſſis peſtiferis, & calore præter naturā reddito (quo nihil grauius naturę accidere poteſt, nec quicquam eſt ab illa alienius) diſcidium, diſſenſionemq; affert. hinc magnæ & quod ad eorum naturas, & qualitates pertinet, diſſimilitudines varietatesque rerum conſequuntur, quas natura deinceps minime aggreditur, Medicus autem primo quoque tempore extrudere conatur. in putredine vis, ac facultas concoctrix adeo imbecilla reddita eſt, vt nullam amplius poſſit in re putreſcente afferre mutationem. hoc vero cōtingere ſolet interdum, cum naturæ nullæ ad materiam maturandam vires amplius ſuperant, tametſi id quod putreſcit omnino prauum non ſit. ſæpe vero euenit, vt naturæ vires fractæ, ac debilitatæ minime ſint; humor autem prauus, ac malignus. in ea ſcilicet multis modis variatur putredo, vnde ſanies, quas ἰχῶρας Græci appellant, in aſperioribus morbis extruduntur aliæ atque aliæ. huiuſcemodi videtur æruginoſa, & fuſca bilis, ἰσατώδης, & quædam rubra, ac porracea, aliaque nonnulla, quibus nondum nomina impoſita ſunt. at depelli tamen in morbis, quos putredo excitauit, quotidie obſeruamus. atque hæ maxime inter ſe opponuntur. tertia vero media inter vtraſque interiecta eſt; materia enim quæ ſubiecta eſt, in qua verſatur calor innatus, non tota apta eſt ad nutritionem; neq; enim benigna eſt, verumtamen neque prorſus aliena, & inutilis eſt, quæ à calore innato, qui in materia concoquenda neque plane ſuccumbit, neq; omnino vincit, ac ſuperat, ita tractatur, vt primo quoq; tempore commoueatur, deinde ebulliat, poſtremo commiſceatur cum ſanguine, à cuius natura paullo ante remota, ſeiunctaq; erat. vnde aut abſumitur, aut quoad eius fieri poſſit, redditur rarior, & aptiſſima ad nutritionem; putredo vero inchoata quidem eſt; at minime abſoluta. viuo autem

anima-

animali putredo concitatur, calor naturalis putredinẽ comprimere, materiam commutare, diuellere, & deniq; vtile reddere quicquid exputruerit, nunquam non conatur; nullus enim adeo viciosus, ac corruptus humor est, qui à natura excoli aliquo pacto non possit.

Quod genus in nostris membris, & corpore toto
Mixta latens animi vis est, animæque potestas.

eius igitur facultatem, quæ hæc pręstare potest, si excitabimus, firmioremq, reddemus, putredinem restinguemus. in hac igitur concoctione (quæ putredinem coercere continuo solet) vt id quod concoquit, ac id, quod concoqui debet, quam maxime inter se congruant, & conueniant, ac simillima sint qualitatibus, natura quidem efficit: at vt secundum naturã speciem eandem plane obtineant, pręstare nullo modo potest. in eorum vero qualitatibus conformandis haud vulgaria notantur caloris innati impressa vestigia. conandum igitur medico est, vt humor ille cuicuimodi sit, aptior, & cõgruentior reddatur ad eam similitudinem & suscipiendam, & gerendam vel incidendo, vel attenuando, vel refrigerando, vel exsiccando; extruduntur enim facilius quæ concocta sunt, propterea quod neque meatibus inhærent propter tenacitatem, neque difficilius mouentur propter siccitatem; naturam minime violãt acrimonia, aut qualitate aliqua molestiori, similem cũ natura obtinẽt qualitatẽ, cui paret, ac obedit. in corpore. n. sano nihil nisi aut calidum, aut humidum, aut certe temperatũ reperitur. & cũ omnia membra calore cũ humiditate cõiuncto suis fungantur munerib. tũ vero in hoc quoq; cõcoctionis genere, qd' & elixando perficitur, caloris, humiditatisq; opera plane excellunt, atq; elucent. quid? nonne omnes partes suis qualitatib. munera sua exequuntur, qualitates autẽ ex temperie originem ducunt? temperies partis illius sane natura est. hęc vero propria vniuscuiusq; partis humiditas est, quã in hoc officio natura maxime requirit,

ac ea vtitur, vt & paullo ante demonſtrauimus. hæc alteratio genus quoddam quoque putredinis eſt, quæ innumerabiles prope obtinet differentias prout aut magis, aut minus materia ferre poteſt maturitatem, aut calor innatus imbellicior, aut validior eſt. ille enim mutat atq; alterat, quicquid illi oblatum eſt pro eius robore, aut infirmitate. hoc alterationis genus maxime contingere ſolet in febribus, in vrinis, quæ his fatigantibus deſcendunt. id quod ſubſidet pars quædam eius eſt, quod putredine corruptũ eſt, quæque ſingulas quasque acceſſiones excitat, & continentium, nec non antecedentium cauſſarum particulam aliquando eſſe maxime veriſimile eſt. humores ſiue in venis conditi ſint, ſiue extra venas ferantur, cum maturitatem habent, puri ſimiles euadunt. hoc eſt concoquuntur, maturantur, ſuppurantur, aſperæ pulmonis arteriæ humore crudiori, qui à capite defluit, plenæ, refertæque ſæpe ſunt. vbi iam abſoluta & perfecta eius maturitas eſt, puri ſimilem euadere ex iis, quæ extruduntur, plane cernimus, non ſpumoſum, quod nonnulli tradidere. hæc & Sympepſis, id eſt maturitas appellatur, quæ expulſio quædam eſt, quę cum vrina magna ex parte, raro per aluum deſcẽdit. in inflammationibus, abſceſſibus, tuberculis & in multis aliis denique morbis idem notamus. vrinas quoque deſtillationes, coryzas, ichores concoquere hac ratione dicimus; de quorum maturitatis notis ſuo loco dicemus. de prioris alterationis ratione ſatis hactenus. altera vero, quæ putrefactio quędam eſt, & corruptio reiicienda eſt ab hac noſtra diſputatione. de tertia agamus, quæ cum à calore naturali perficiatur, haud ſane inepte à iunioribus maturitas quædam dicta eſt; quorum morem, conſuetudinemque & nos ipſi ſeruare in animo habemus, cum aliis de cauſſis; tum vero, vt nonnullorum lites, & controuerſias, quas hæc vocabula ſerere, & creare ſolent tollere, atque componere, non

alere

alere velle videamur; ea vero eſt rei ex aliqua corruptela à natura diſſidentis, atque disiunctæ coniunctio, & quaſi conglutinatio. quæ alia, atque alia eſt, prout alii atque alii ſunt humores, qui maturari debent; etenim ſi humor alienus eſt à natura maturantis, id quod cohæret, ac congruit perpaucum eſt, excretum vero plurimum. Sin aliqua ſocietate, atque familiaritate cum natura iunctus eſt, qui maturari debet, multo minus erit, quod immaturum relinquetur. alienum humorem illum appello, qui cum cognatione quadam naturæ fuerit coniunctus, nunc ex aliqua corruptela factum ſit eius affinitatis quoddam (vt ita dicam) diuortium, atque diſcidium. vis illa, quæ in animalium corpore incluſa eſt, quæ aliena reprobat, eo potiſſimum tempore aliquid conatur, atque experitur, cum ea quæ mutat, alterat, concoquit, materiam lenierit, mitigarit, flexerit; hoc enim ſingulis partibus à natura tributum eſt, vt ea virtus, quę propellit, tum demum eò neceſſario deſcendat, vt extrudere conetur quod alienum eſt. idque recte atque ordine perficiat, cum alteratrix cuncta commode præſtiterit.

Cap. XIV; *Cuncta circa ægrotum recte geri oportere, ſi de concoctione aliquid præſagiendum eſt.*

INVENTIS omnibus concoctionum generibus, experiamur, num vniuſcuiusque humoris maturitatem inueſtigare poſſimus principium. autem ſumamus ab earum natura; quam ſi recte inuenerimus, aliquid de maturitate artificioſe coniectura aſſequi poterimus. antequam vero humorum naturam explicemus, illud protinus animaduertendum quod in maturitate prædicenda niti optime coniectura minime poterimus, niſi omnia ordine circa ægrotum gerantur; nam quæ perperam vel ab iis, qui ægrum adſeruant, vel à Medico ipſo adminiſtrantur, cauſſa ſunt, vt

maturitatis, & iudiciorum tempora prorogentur. quare illud recte ab Hippocrate ſcriptum eſt: *verumtamen egregium non modo medicum ſe præſtare, verum etiam ægrotum talem ſe præbere oportet, & qui eum adſeruant, atque externa.* etenim ſi ægroti in victus ratione peccent, vel quod pleniori cibo vtantur, quam ſtomachus ferre poſſit, qua in re ſi cibi concoquantur, ac diſtribuantur, quaſi quibusdam oneribus natura premitur, vaſa alimento completa aliquid vitio ſemper adiiciunt, acrior multo redditur inflãmatio, vel quod inedia macerentur, propter quam morbus crudior redditur, vel vtraque de cauſſa, ob quam febrium iudicia aut minime conſequuntur, aut in aliud tempus reiiciuntur. hinc illud Hippocratis: *Decimaquarta iudicia exerceri omnino debebant, ſi ordine acceſſiones conſequutæ eſſent: ſed ob diſſolutam victus rationem 17. iudicia edebantur. Pythodorus quod cibos citius quam par eſſet, ſumpſiſſet, cum febre plane liber videretur 14. delirium, & coma eum occupauit.* ſunt & medicorum quædam haud vulgaria peccata, qui nunquam ad ęgrotum accedunt, quin vel cataplaſmata imponant, vel oleum perfundant, clyſteria indant in aluum, aliquid adurant, venam incidant, cucurbitulas imprimant, fricent corpus, aut huiuſcemodi aliud egerint; qui quoties ad ægrotos accedunt, toties offendũt. quapropter aut praua, aut longa, aut nulla iudicia fiunt, maturitatis autem tutiſſima quæque indicia præcedant neceſſe eſt: quæ ſi impediantur, aut protinus metus ſequitur, aut certe extrahuntur iudicia, quæ vna cum tempore ſæpiſſime habent perniciem coniunctam.

CAP. XV; *De vniuscuiusque humoris maturitate, & de pituitæ generibus, & de crudiori humore eorum maturitatis ratione.*

HVMORES, qui in corpore noſtro abundant, & morbos maxime excitare ſolent, aut ex bonorum

aut ex malorum ſuccorum alimentis gignuntur; qui ex boni ſucci cibis geniti ſunt, aut ſimpliciter crudi humores vocantur, aut pituitæ aliqua euadunt genera: hi humores naturales eſſe dicuntur; alere enim nullo negocio poſſunt. qui vero ex mali ſucci cibis gignuntur, bipartito quoque ſunt; aut enim tenuiori natura præditi ſunt, aut craſſiori. hi, cum nondum à natura victi, ac ſuperati ſunt, crudi etiam appellantur, & alieni ſunt. & cum in totum diducuntur corpus, eandem ſeruare naturam ſolent. id autem tanti eſt, vt & ad ſanitatem tuendam, & ad morborum naturam obſeruandam maxime conducat. qui ergo cucumeres perbelle concoquunt, ſi illis diutius vtantur, ſuccum demum frigidum, & mediocriter craſſum in venis protinus coaceruabunt, qui in ea concoctione, quam in venis moliri ſolet natura, vel maximam, haud facile in optimum ſanguinem euadere poſſunt, nec illum diutius ferre poteſt natura. ſimpliciter autem ille crudus humor vocatus eſt ab antiquis, qui & crudus, & frigidus, & craſſus, nonnunquam & glutinoſus eſt, quem Praxagoras, & Philotimus κολλώδη appellarunt, minimaque humiditate præditus eſt. qui à Galeno inter pituitæ genera aliquando coniectus eſt, ne multitudinis genera temere augere velle videretur. quam recte id fecerit, alii viderint. ego vero hunc crudum humorem à pituitę generibus audacter ſeiungere in animo habeo, præſertim cum haud vulgarium, præſtantiſſimorumque Medicorum auctoritates habeam, quibus nitor, quæ omnibus in rebus & debent, & ſolent valere plurimum. huc accedit, quod ſi hæc inter ſe diſtinguátur, ac ſeparentur, lucem aliquam huic tractationi afferre nullo negocio poterimus, quæ ſine horum diſtinctione obſcura, & perturbata futura eſt. illud autem hic humor cum pituita habet commune, quod frigidior tantummodo ſit, verum pituita minus craſſa, & quamplurima humiditate prædita eſt, & magis inflat. vterq;

etiam humor illud habere videtur, vt neq; male oleat, neque lentus ſit, quemadmodum pus craſſius, cui humor hic ſimillimus eſt. comparatur etiam iis, quæ in vrinis ſubſident, quæ pulticulæ fabaceæ ſpeciem quamdam referre videntur. huiuſcemodi vrinas in pueris, atque iis, qui natura voraciores ſunt, perſpicimus. nec non in iis febribus quæ ex humorum copia excitari ſolent, procedere conſueuerunt. idem quoq; ſæpiſſime obſeruatum eſt aluum reddere in iis, qui poſt cibos aut intempeſtiue exercentur, aut balneis vtuntur, quod minime male olet. qua in re maxime differt ab iis, quæ per deiectionem excernuntur in illis, qui morbo tabeſcunt, ac colliqueſcunt. quid, in iis tantum? verum etiam in illis, qui ob multos exantlatos labores cibos duros, & concoctu difficiliores aſſumunt. huiuſcemodi ſuccum generat illud genus panis, quo vti athletæ conſueuerunt: caro ſuilla præſertim ſi non bene cocta fuerit, qualem ſequutum fuiſſe teſtatur Hippocrates Biantem pugilem, bubulam, & tandem quicumque craſſiores & terrea natura præditi ſunt cibi; qui cum ægre in ſanguinem verti poſſunt, tum vero viribus egent validioribus vt in corpore maturentur. huiuſcemodi alimentorum genera accurate perſecutus eſt Galenus in libro De illorum facultatibus & in libello De bonitate, & vitio ſuccorum. qui autem huiuſcemodi ſucco referti ſunt, minime appetunt; decolor quædam in toto corpore ſubeſt albedo, veluti & iis, qui pituita multa abundant. Somnũ mouet, ſpiritus minus continet. hic humor difficilius maturatur quam pituita dulcis, & alteratione non indiget, vt acida, verum attenuatione, & (vt ita dicam) diſſolutione, quà craſſior eſt. hunc adeo nonnunquam corrumpi ac deprauari obſeruatum eſt, vt perfecte amplius concoqui nequeat. atque illi, quos huiuſcemodi humorum genus occupauit, ad ſalutem perduci nullo modo poſſunt. corrumpi autem ſæpe ſolet, ſi neque

neque vires illum ſuſtinere poſſint, & ſi propter eius copiam, & craſſitiem exigui animalium meatus anguſtiores multo reddantur. calculos in renibus gignit, tophos excitat, iecur obſtipat, ſcirrhos concitat.

CAP. XVI; *Tria eſſe pituitæ genera.*

PITVITÆ autem genera tria ſunt: vna, quæ vere, & proprie pituita dicitur, quæ quidem eſt ſuccus accommodatus ad alendum corpus noſtrum, totiusque ſanguinis pars crudior exiſtit. ſumma vero pituitæ cruditas intelligenda eſt in ea, quæ in venis perficitur, cōctione; nō autem in ea, quę prima, atq; inchoata eſt, quæque protinus in ventriculo perficitur. hanc ſi aſſecuta non eſſet, ne ſuccus quidem dicendus eſſet. facillime tamen concoquitur, atque ei maxime cum natura conuenit. altera vero acida eſt, quæ ſumme cruda eſt, & tenuior, & præter primam ventriculi concoctionem vix vllam, aut certe minimam in iecore, aut venis paſſa eſt mutationem; exiguus enim in ea calor ineſt. etſi ad venas tranſit, tantum abeſt, vt alat atque nutriat, vt ſanguinem ipſum plane corrumpat. quod contingere ſane videmus in iis, qui eo ſucco maxime referti ad medicamenta calidiora, theriacam ſcilicet, & aquam vitæ appellatam, protinus decurrunt. hæc vero medicamenta nullo negocio ad iecur, & venas humorem illum deferunt, quippe quæ calidiora ſint, calorque illorum ſtabilis permaneat; & temporis diuturnitate vix exareſcat. teſtes ſunt præcordiorum dolores, obſtructiones, ac denique inflammationes, quibus malis illi ſæpe premuntur. in tertia vero concoctione cum mutari, ac conuerti in id, quod nutriri debet, prorſus nequeat (primæ enim concoctionis errata tertia minime corrigit) nemini mirum videri debet, ſi varia morborum genera conſequantur. ſæpenumero obſeruaui huiuſcemodi materiam pectus oc-

cupare, vnde ſummas reſpirandi difficultates concitatas vidi, in iis præſertim quos aqua vitę perdiu vſos fuiſſe comperi. eadem ſi caput petet, ſomnus, lethargus, dentium dolores, Epilepſia, Apoplexia, Arthritis, Podagra ſubſequetur. ſin renes, & veſicam occupat, dolores in renibus graues, calculos, tophos, vlcera parit. ſi denique carnes, & exteriora inuadat, rigores, horrores, & tumores profert. in ventriculo ſi huiuscemodi humor affluat, febres, ſi exputruerit, ſæpe excitantur; vermes procreat, in vomitu vero hoc tempore nullum non auxilium eſt. ſi ad inteſtina propellatur, dysenterias concitare ſolet ſane quam pernicioſas. qui ſi craſſior redditus eſt, attenuari; ſi viſcidus, incidi; ſi acidus, leniri primo, dein maturari; ſi denique ſalſus primum temperari, paullo poſt exhauriri poſtulat. hi huiuſcemodi humoribus completi ſunt, qui pleniori cibo vtuntur; ac tametſi deſiderio ciborum minime vrgeantur, de illis tamen ne tantillum quidem detrahere ſolent; atque hos, ſi oxymel aliquando aſſumant, aut febre, aut alui profluuio, aut vomitu, aut ſtranguria, aut colicis doloribus corripi ſæpe obſeruauimus. ſub acida vitream pituitam ponimus. quæ tametſi acida frigidior ſit, quoniam tamen acidioris qualitatis particeps eſt, ſub acida comprehendi volumus, quæ difficilius multo maturatur, quoniam frigidior eſt. qua in re Galenum ipſum ſecutus ſum, qui & ipſe tria tantummodo pituitæ genera conſtituit. tertia eſt ſalſa vel ex dulci putreſcente nata, vel ex ſeroſæ naturæ commiſtione. atque harum vnaquæque aut craſſior, aut ſeroſior, aut media quadam natura prædita eſt. quæ & alterari, & euocari poſtulant. cum enim diutius in corpore conſederint, difficilius loco mouentur, ac terreſtres magis euadunt. Auxilia vero, quæ & calefacere, atque attenuare poſſunt, aut easdem craſſiores reddunt, aut nulla omnino ſunt. medicamenta, quæ perpurgare poſſunt, tametſi aſperiora ſint, illas tamen

vix

vix propellunt: eadem cum prorſus ſint aliena à natura alterantis, ac maturantis, quamuis mutata ac ſuperata (quod accidit cum natura fortior facta mutationibus ſuis ea agitarit) permutari tamen in corporis naturam non poſſunt, pręſertim cum in illis inſignis quędam inſit putredo. cum autem illa ſuperarit, ac conformarit natura, fiunt aliquo pacto ſolidioribus partibus ſimilia, & apta vt euocentur vel à natura, vel à Medico. quod non ſolum contingit in hiſce pituitæ, verum etiam in multis aliis humorum generibus vt bile, atra bile, ichoribus in quorum maturitate nihil aliud perficit natura, quam vt qualitates excellentes, ac multi-formes in huiuſcemodi humoribus retundantur, atque ad commodam & vtilem expulſionem præparentur. verum enim illud ſemper eſt, quod natura ſuis viribus nixa, quicquid ſibi aſciſcere poteſt (quare nihil eſt ipſa appetentius) id concilict, arripiat, & partibus ſimile reddat. quod vero ab hoc abeſt, atque alienum eſt, aſpernatur, reprobat, & expellit. qua in re concoctionis vocabulum latiori, atque generaliori ſignificatione accipitur, quæ incraſſando perficitur, vt & vera concoctio. etenim in vnaquaque maturitatis ſpecie natura per ſolida corpora extenſa, nihil aliud conatur efficere, niſi vt ea, quæ maturari poſſunt, cum ſolidis corporibus coniungantur, ac congruant.

CAP. XVII; *Cuncta in maturitate craſſiora reddi.*

VERVMTAMEN quoniam ſolida corpora craſſiori natura prædita ſunt, iccirco quæcumque maturantur, craſſiora quoque reddantur, neceſſe eſt: calor enim ſpiritu duce, ſanguine comite cuncta commouens, ac conſumens terrena cum aqueis, & aquea cum aereis permiſcet, donec copulentur, coagmententur, ac concreſcant omnia. Sic vrinæ, ſic ſputa craſſiora,

cum maturantur, redduntur. ſic humores in lippitudinibus cernuntur; ſic quæ per palatum, nares, aluum redduntur, principio tenuiora, deinde craſſiora euadunt. hinc Hippocrates Polemarchi vxorem liquida deieciſſe affirmauit, quæ mala cenſentur, id eſt, minime matura: cui cum fortaſſe datum eſſet medicamentum purgans ante materiæ maturitatem, ſumpta plane
„ occaſione illud ſtatim ſubdit: *ventres purgari non opor-*
„ *tet, niſi cum matura fuerint.* vnde etiam emanauit illud
„ aureum: *Si qualia in principiis adſunt, talia poſtea appa-*
„ *reant, hæc non valde maturari puto.* idem ſentit Ariſtoteles, idem magnus confirmauit Alexander, idem denique ſexcentis in locis teſtatus eſt noſter Galenus. qua de re etiam nonnulli iuniores accurate, ac diligenter quæſierunt. horum ſcripta perlegant velim, qui longiores harum rerum diſceptationes ſummopere deſiderant. neque vero verendum eſt, ne natura humores craſſiores faciendo minus accommodati reddantur ad euacuationem; etenim cum ipſa recte, atque ordine ſuis fungi poteſt muneribus, neque à cauſſis præter naturam aut grauata, aut aliquo modo læſa eſt, principio materiam morbum facientem maturat; deinde diſcernit, ac ſegregat, quæ maturationi ſunt inepta; poſtremo euocat, ac expellit. Natura ipſa per ſe nullo alio aut docente, aut mouente cum ſuperior facta eſt, quæ ad nutritionem apta ſunt, ſibi ipſi congruentia reddere conatur; quæ vero in ſui nutritionem conuertere non poteſt, eadem, cum à reliquis ſecreuerit, illico ſi per vires licet, tamquam aliena reprobat, atque depellit. id autem, cum natura ordinatim mouet, in morbi ſtatu accidit; concoctio enim aut maturitas potius in vigore maxime perfici ſolet.

CAP. XIIX; *Maturitatis indicia quædam.*

MAXIMVM vero maturitatis materiæ in morbis indicium eſt, quod humor à natura, ſi imbecillior

lior non eſt, huc illuc propellitur, locumque mutare perpendimus; victus enim ac ſuperatus, & quaſi in fugam coniectus vno in loco conſiſtere minime poteſt, ſed præceps modo ad hanc partem peruenit, modo in illam refugit; ægrotum autem modo ventriculi, modo inteſtinorum, modo capitis, modo pectoris, modo brachiorum, modo coxarum, modo cuticulæ dolor infeſtat. Sin validior ſit, & loca, per quæ transire debet humor, minime præcluſa, obſtructaque ſint, aut per ſudorem, aut per vomitum, aut per aluum eum protinus deturbat. neque vero vrinas ſemper reſpicere debemus, à quibus ſæpenumero in errores inducimur turpiſſimos. ſæpe videmus vrinas crudiores deſcendere, non quod morbus maturitatem conſecutus non ſit, ſed quod ægrotus humidiorem victus rationem ſecutus, potione ſe impleuerit. vel quod frigidiori, & moderato victu vſus ſit, haud raro flauiores ex minutione victus continuo ferri animaduertimus. ad illud vero iam concoctæ materiæ ſignum, illud quoque accedit, quod ægrotus omni perturbatione caret, nullus in capite grauitatis ſenſus vrget; nullus dolor eum male habet; caloris moleſtiæ ſedatæ, aut poſt febris acceſſionem plane fractus calor, & extinctus eſt. noctu ſomnum cogit, tranquille ſe ipſo fruitur.

CAP. XIX; *Quo potiſſimum tempore præſcribenda ſint medicamenta, & quando in principiis morborum præſcribenda ſint, & quando expectanda maturitas.*

AT in principiis morborum aliquid mouendum eſt. adde, ſi tibi videtur, vt intelligas nihil absque ratione fieri vnquam oportere. Galenus vel vt inter initia, antequam humores in parte aliqua coierint, vel poſteaquam ad maturitatem perducti ſunt, ad medicamena vt properemus auctor eſt. At non præcepit

ſenex magiſter, vt temere ad medicamenta in principiis morborum decurras; id fieri cum ratione debere iubet; nunquam enim diuinus vir addidiſſet, ſi tibi videbitur, ſi ad arbitrium ignari, ac impudentis medici cuncta reuocare voluiſſet. tunc vero medicamenta maxime damus, cum humores turgent, quod in primo ſuarum ſententiarum libro Hippocrates in morbis acutis obſeruandum eſſe pręcepit hiſce fere verbis:
» *In morbis acutis raro quoque ad medicamenta purgantia*
» *decurrendum eſt; idque ſi faciendum aliquando videtur,*
» *illis minime vtendum, niſi ſi optimis, ac firmiſſimis ratio-*
» *nibus id vt faciamus, adducamur. matura autem medica-*
» *mento deiectionem petente extrahere antea iuſſit. ea vero*
» *quæ cruda ſunt, ne attingenda quidem cenſuit, ac ne in i-*
» *pſis quidem morborum initiis, niſi ſi humores turgerent,*
» *turgere vero minime ſæpe ſolere tradidit.* cum humores turgentes perſpicimus, (nulli vero non humores turgent, qui multitudine & qualitate vexare ſolent eam facultatem, cuius partes ſunt, quæ corpus noſtrum affligunt, reprobare) idcirco medicamentis deiectiones molimur, tum ne nobiliorem partē aliquam protinus occupent (quam enim in partem materia inclinatura ſit, à medico præſentiri minime poteſt) tum quoniam naturam validam ſentimus ad eos pulcherrime diſſipandos; in acutis enim morbis, id eſt, qui 14. diem minime prætereunt, nunquam natura non validior eſt, auxiliaque noſtra minime expectat; moram enim non facit morbus, qui non niſi cum cunctatur, eam infirmiorem redigit. quam, cum vires ei vix ſuppetunt, neceſſario tempore diſtituere nefas eſt. Galenus vt iudicia celerius exerceantur, optimum eſſe inquit, vt inter initia morborum ægroti perpurgentur; euenit enim, vt minore reddita materia facilius multo natura eam, quæ reliqua eſt, maturare poſſit. Si tanta ſit materiæ copia, vt natura grauari, atque adeo opprimi poſſe videatur, vt mortis periculum ſubeat ægrotus,

tus, nec tamen eam natura vlla ex parte commoueat, medicamenta non fert natura, neque epota quicquam proficiunt: qui enim perniciose, ac pestifere se habent, medicamentis exinaniendi minime sunt. quin etiam Galenus ipse in huiuscemodi malo, cum natura humorum crudorũ copia adeo obruitur, vt anima deficiat, medicamẽtis minime pugnat, sed vt ad somnũ se conferant ęgroti, imperat. frictiones admouet, aquę mulsę potionẽ summopere laudat; etenim si natura aliquid poterit, aut humores aliquo impellet, aut recta victus ratione instituta illos maturabit. qua in re maxime animaduertendum, si humores calefaciendo, dissoluendo, diluendo, naturam denique robustiorem reddendo rectius perpurgentur quam medicamento, aut vomitu, quorum neutrum commodo naturæ perscribi posse videmus. verumtamen si calidiores redditi, ac dissipati ad membra, quæ inter corporis partes longe principes habentur, ne effundantur, timebimus, ad quodlibet aliud potius remedium decurrendum est. idque consilii continuo capiendum est; nec ociose expectandum, vt id denique nobis sit exploratum. ab illorum autem vel copia, vel qualitate omnino si superabitur, protinus succumbet natura. at in perditis rebus ac desperatis leges omnes medicorum vetant remedia tentare. atque hac in re considerandum num huiuscemodi humores sanguine permixti sint; an nõ. etenim si humores sanguine permixti sint, sanguinis detractione tanto onere natura nullo negocio leuabitur, nisi nullæ vires fuerint, quæ nec sanguinis detractionem nec medicamentum sustinere possint. quo casu id à medico postulatur, vt viribus omni ratione subueniat, ac maturitati studeat. id ex Hippocratis pręceptis efficiet, si ægrotum quiescere, vngere, ac contegere iubebis, & mulsam aquosam vt bibat, imperabis. in cœna vero ptisanæ cremorem præbebis. ventrem inter initia clystere mouebis, medicamenta purgantia

minime adhibebis. cum enim hominem, qui crudioribus humoribus affluat, curabis, ex artis præceptis (ni plane fallor) magis facies, si naturam quiescere permiseris, quam si aut vomitu, aut medicamentis per aluum humorem extrudere coneris; omne enim alui profluuium, & nullus non vomitus vires naturæ adimunt. dein cum commodo naturæ fieri poterit vel sanguinem detrahes, vel medicamentum prębebis. sin humores à sanguine longius aberunt, & crassiores, crudioresque fuerint, quæ ad maturitatem pertinent, curare debemus. at ea instituta magna, infestaque agitatione natura vexanda non est. purgandi vero consilium aut omnino abiiciemus, aut certe in aliud tempus reiiciemus: nam vel sapientes omnes recentibus morbis medicinam adhibere vetant. qui febre occupati in comam inciderunt, quoniam perniciose se habent, medicamentis exhauriendi non sunt. in laterum doloribus tametsi de eorum genere sint, qui descendere ad inferiores partes dicantur, optimũ remedium esse dicitur sanguinis detractio; quoniam humores in partem nobilissimam concurrerunt. serosiores quoque humores, qui vlcera in capite excitare solent, protinus purgare conuenit, cum nondum etiam eos ad aliquam maturitatem natura perduxerit. & quicunque à capite ad pectus destillant humores, eos nulla etiamnum inchoata maturitate educere oportet. in magnis enim morborum discriminibus nimio plus audaces esse non possumus. quare adducti gnari, ac scientes curandorum ægrorum medici in morbi Gallici curatione, & in quibusdam morborum generibus tametsi virium infirmitatem sentiant, solent nulla inchoata materiæ maturitate in ægritudinis initio, in quo humorum translationes accidere solent, nec nõ in ipsius incremento lenioribus quibusdam medicamentis ægrotos perpurgare. Omne enim auxilium est necessarium in crescentibus morbis; namque eo tempore

neque

neque naturæ,neque morbo aut ſtudium,aut virtus ad pugnam deeſt. quanto vero incitatiora ſunt tempora, in quibus vſurpanda ſunt medicamenta, tanto maiores ſunt offenſiones eorum,qui hiſce temporibus diutius cunctantur: morbo autem procedente medicamenta huiuſcemodi adhibere leges medicorum vetant.cum vero magnum quoddam inſtat malum,antequã ægrotus plane deficiat, aut ægritudo amplior fiat, nulla etiam maturitate percepta;etſi noua ratione, attamen aliqua morbos curant.qua in re naturam ipſam ducem ſequi videntur,quam cum materiæ copia male habet,eam ante maturitatem aliquãdo excernit.quod tametſi ratione ſigni pernicioſum valde ſit (ſignificat enim naturam materiæ copia,& qualitate tum vrgeri, tum obrui, in quo caſu natura humores nec retinet nec impellit,ſed veluti defeſſa eos ſinit fluere, tum vero ſtimulari,ac vexari) ratione tamen cauſſæ nonnunquam prodeſſe ſolere euentus ipſe perſæpe docuit. hæc imperfecta iudicia appellat Galenus,& quod nulla inſignis maturitatis nota anteceſſerit, & quod non die,quæ iudicia afferre ſolet,conſequuta ſint.qualia in Methonis ægritudine aliquando conſtigiſſe narrat Hippocrates, de quo quinto die abſolute iudicatum non eſt,abſolute vero quî poterat, cum ille vrinam nigram quarto die excreuerit? quæ ſæpe mortem,morbi ſemper diuturnitatem, eiusdem aliquando repetitionem declarare ſoleat. hæc ſi inter morbi initia deſcenderit, mortis in vicino poſitæ certiſſimam notam eſſe multis experimentis comprobauimus. ergo cum ægroti protinus extinguantur in huiuſcemodi pernicioſis iudiciis, quæ in ſumma materiæ morbum excitantis cruditate exercentur, quamuis aliquando alleuent,nõ ſemper tamen à medico hac in re natura imitanda eſt.etenim quæ plerumque fallunt(quod in noſtro τῶν παρασκευαστικῶν quoque ſcripſimus) ſunt omnino artis expertia.

CAP. XX; *Quam auctor sententiam in medicamentis præbendis potissimum complexus sit.*

HÆc ergo in re, in qua summa medicorum dissensione certatur, certi aliquid statuere minime possumus, nisi ad illud nostras cogitationes aliquãdo cõuerterimus Galenum Hippocratis præcepta perpetuo sequutum non esse. qui primo quoque die ad elleborum, & peplium minime decurrisse nouerimus; animaduertit Galenus homines eo tempore in appetendo sibi temperare, quotidianis in exercitationibus versari, summos quosq; labores sustinere solitos fuisse; quos crudioribus humoribus haud abundasse verisimile erat, quamobrem asperiora quæque medicamenta recte adhibebat Hippocrates. à quibus sapienter abstinuit Galenus, qui abundantiam, copiamque crudorum humorum obseruauerit, quos antea ex arte accommodatos, reddere debebat ad detractionem. Hac re adductus auctor nobis fuit, vt ante materiæ maturitatem illius copiam imminueremus, à quibus ceteros arcere hoc tempore minime debemus, quod multa leniora medicamenta nacti simus, quæ vel mulieribus vtero gerentibus post I V. denique mensem tuto præbemus. verissimum illud scilicet est nulla esse medicinæ artis præcepta perpetua; sed nullis non in doctrinis & addi, & detrahi quædam egregie posse, nisi ad naturæ functiones respiciamus. medicum enim naturæ operum nobilissimorum spectatorem, imitatorem, & administrum esse maxime volumus; expedit enim in vnaquaq; re sensus eius egregie tenere, quo cũ nobis negocium futurum est, cui parcere, & omnibus in rebus consulere debemus. interim ab humorum forma, & situ, nec non & à morbi impetu, & magnitudine animus nunquam abducendus est. ergo qui leniori morbi genere tentantur, præsertim si à viribus firmiores sint, medicamentis leuandi non sunt. at quibus

bus nec natura, nec victus ratio auxilii nihil afferre possunt, medicamentis illorum saluti subueniendum est.& si in ventriculo humor aliquis consederit, primo quoq; tẽpore eiiciendus: & eos, quib. in morbis vrinæ crassiores, & in quib. nebulæ albæ subsident, descendunt, ceteris annuentibus obseruationibus medicamento recte purgare possumus. quod si in aliquam interiorem partem, quæ sit primaria, materia inclinatura sit, antequam humores considerant, ad medicamenta confugiendum est. quod si locũ occuparint (alia enim, atque alia consectari solent morborum symptomata) postquam maturitatem assecuti sunt. præterea si naturæ vires ad eam maturandam pulcherrime superabunt, eius protinus expectanda erit maturitas. sin à viribus infirmior erit, & periculum sit, ne ab illius copia opprimatur, ad medicamenta inter initia decurrendum est. etenim ea humorum detractio à nobis imitanda est, quæ fit à natura languente ac defessa, ne dum stimulata, ac vexata. excitandi enim sunt abscessus, qui afferant iudicia vel κατ' ἔκροιν, vel κατ' ἀπόδοσιν. at quæcunque pars inflammatur, in morborum principiis qui medicamentis eam cruciare conantur, hi de eo, quod inflammatum est, nihil auferunt (crudior enim morbus tantum abest, vt aliquid remittat, vt excrementa quoque recipiat) ea vero, quæ sana sunt, fatigat, & quæ morbo resistunt, ad infirmitatem rediguntur. natura autem elanguescẽte morbus protinus superat. in morbis acutis cum materia assecuta est maturitatem, id est morbis (vt ita dicam) vigentibus, medicamentis si deiectiones petierimus, recte, atq; ordine nos fecisse censendum est. medicamentis vero purgationes moliri debemus, quæ aluum mouent, cum humores quasi consederint. illud intelligi ex Hippocratis præceptis nullo negocio potest, si ægrotos nulla anxietas vrgeat, nulla capitis grauitas affligat, calor se ipsum fregerit, aut cum post accessiones extinctus

ſit. contingit aliquando, vt humor in corpore latitans, partemque, quæ principatum obtineat, occupans, repentino ad aliquam, quæ nullum dignitatis locum obtineat, decurrat, & morbus continuo benignus euadat; atque ægrotus, cui ſpes ſalutis antea nulla erat, morbum pulcherrime effugiat. nonnunquam euenit, vt materia, quæ in parte, quæ nullo plane in honore eſt, conſederit, repente ad primariam, nobiliſſimamque concurrat, vnde & morbus malignus fiat, atque ex morbo paullo poſt mors conſequatur. quamobrem medici in iis ægrotis, qui prauis humoribus affluunt, ad extrudendos humores, qui morbos excitãt, cunctatiores eſſe maxime velim; præter enim ęquum & bonum medici ægrotos aliquando medicamentis lacerant, & plus nonnunquam agere, & moliri conantur, quam quantum ægroti commodo fieri poſſit. vidi ſæpe multos, qui cum perpenderent ægritudinem aut iam iã abſcedere, aut plane deceſſiſſe, vel vt ocyus recrearẽtur ęgroti, vel vt profligati morbi ceteris laudẽ præriperent, in poſterum medicamenta parare aſperiora, quæ ad infirmitatem naturam redigunt, & humorum motum afferunt haud vulgarem, cum paullo ante omni agitatione vacui eſſent. quid ergo? auctor ſum, vt in febribus, præſertim quæ malignæ ſunt (nullo vero negocio, quæ eiusmodi ſunt, cognoſcuntur, modo curam, diligentiamque in eam rem cõferamus, quam poſſumus, & debemus; accurateque perſpiciamus cauſſas cum antecedentes, tum etiam antegreſſas) aut ab iis medicamentis abſtineamus, quæ aſperiora ſunt (aceruatim enim cuncta excutiunt, naturam confringunt, cum mitiora nullum motũ faciant, nullumque periculum afferant) aut certe extremo impulſu ſtantes agitandi non ſunt, nulla ratione permiſcendi, atque perturbandi, ægroti ſalutem naturæ permittendam. præſtat enim aliquid materiæ in corpore ſuperare (tametſi illud ſubtrahere fortaſſe ex vſu eſſet,
quod

quod vel copia, vel malignitate ægrotum male habere videatur) quam cunctaadeo miſcere, agitare, atque loco mouere, vt tandem in viſcera inclinent. quę optima corruptis miſcere naturam, aut temperare, aut delinire, aut victus genere mutato aliquando concoquere, & demum extrudere ſolere ſępe animaduertimus. decedētibus vero, ac decreſcentibus morbis ægroti medicamentis cruciandi non ſunt. ego quidem ægritudine maligna inclinante medicamentum nunquam perſcripſerim, tametſi certam prope ſalutem videam. ſæpe enim obſeruaui morborum impetus medicamentorum vi conuerſos ęgrotum paullo poſt peremiſſe. illud me quoque mouit, quod in omnium ore verſatur, pulſis ac fugatis hoſtibus pontem inſtitui debere plane aureum. vomitum autem excitabimus, cum ſuperiora petunt. tum vero ſurſum ferũtur humores, cum ægrotos premet anxietas, & capitis grauitas accedet, & maxima iactatio. quod ſi alio morbi tempore medicamentum perſcribas, & vrina minime maturabitur, & febris diuturnior euadet, ſudoresque minime conſequentur, neque iudicium ſubibunt ægroti. quæ litteris conſignauimus, ægrorum commodo maxime obſeruare poſſumus in febribus intermittentibus: etenim eo tempore humores maturitatẽ aſſequuti ſunt, nullaque amplius ægrotos ſymptomata circumuallant, quod auctor v. libri De morbis vulgaribus iampridem annotauerat. at in continuis febribus quoniam tunc vigiliæ, deliria, ſitis, iactatio impendent, vitare huiuſcemodi tempora oportet, & medicamenta in ipſius incrementi flexu perſcribenda, & imperanda ſunt. etenim intempeſtiue corpus aſperioribus medicamentis exhauriendum non eſt, neque in morbi impetu, neque in eius feruore. & quod cuncta in eo grauiſſima reperiantur, natura acrius ſtimulatur, ac pungitur, putredo vero ſumma eſt, maturitas autem inchoata; & quod vires omnes corporis omnino imbe-

cilliores ſint. Quod ſi aliquando firmiores videantur, quod in pugna ſuum locum pulcherrime teneat natura, plus tamen firmitatis virium in ea ineſſe cenſendum non eſt, quam inter morborum initia; & denique quod facultates, quæ ad naturam, & vitam pertinent in morbo concoquendo totæ ſint prorſus occupatæ.

Cap. XXI; *Maturitatis, & purgationis gradus.*

NATVRA vero non ſtatim, vt materiam aggreſſa eſt, illico eius maturitatem perficit, ſed modos, & gradus quoſdam muneris ſui conſtituit, ac cuſtodit. tres autem maturitatis, & cruditatis à medicis gradus notari ſolent, quos perpetuo naturam diligentiſſime ſeruare iampridem animaduertimus. primus gradus eſt, cum materiæ maturitas inchoata eſt; quem cum aſſequitur natura, obſcura quædam maturitatis indicia apparent, hoc vero fere accidit in extremo principii. alter gradus eſt, cum apertæ maturitatis notæ extant. hæc autem obſeruantur in accretionis fine. tertius gradus eſt, cum perfecta & abſoluta maturitatis ſigna notantur, quæ vel in impetu, & vigoris extremo, aut in ſtatu pulcherrime agnoſcimus. in hiſce omnibus gradib. aliquando humores ex arte exinanire poſſumus, cum ſcilicet natura imbecillior eſt; & materiæ copia, atque affluentia naturam plane opprimit. etenim eo caſu in obſcuris maturitatis indiciis parce purgabimus, id eſt vrinam mouentibus incidentibusque vtemur, præſertim ſi ad renes materiæ aliqua copia protinus affluat; ſin minus, aluus aut clyſteribus aut glandibus aut medicamentis noſtris lenioribus ducẽda eſt. *meatus* enim (quod inquit Hippocrates) *apertos* „ *eſſe oportet, veluti nares & cetera, quæ oportet, & vt opor-* „ *tet, & qualia, & vbi, & quãdo, & quantũ oportet, vt ſudo-* „ *res, & alia præterea omnia*: id eſt, in manifeſtis moderatiores, in perſpicuis, ac perfectis purgationes perfectæ con-

conueniunt, ex medicamentis quoque aſperioribus quæ tametſi iudicia tollant, ex artis tamen præceptis ea dari recte poſſe, vel teſtimonio Galeni comprobare poſſumus. qui in libro De conſuetudine acerbe minime eos notauit, qui in iis, qui morbis conflictarentur, huiuſcemodi medicamentis iudicia diſturbarunt, ac diſſoluerunt. Ceterum in ſtatu morbi, vel in iudicio ſi natura humores qui morbum concitant, protinus non extrudit, ad medicamentum recurrito. at ſi natura illos propellit, idque agat omnibus viribus, ſinito vt ea munere ſuo tranquille fungatur. quod ſi morbum abſterſerit, nihil præterea tibi eſt moliendum. ſin quid intus ab ea relictum ſit, quod illi tantum viribus conſequi nō licuerit, medicamento id omne protinus extrudendum eſt; non enim natura, quod vult, ſatis efficit, niſi cum ſtudio eam iuueris. neque vero dies reſpiciendi ſunt, nulla enim non die medicamentum recte præberi poteſt, modo conſilia noſtra accommodemus ad eas obſeruationes, quas antea poſuimus, quę Medicis duces ſunt ad ea recte, atque ordine perſcribenda. optimos tamē quosq; medicos ſpatium quoddam naturæ haud imbecillę ad concoquendos humores nunquam non conceſſiſſe obſeruamus. In tertiana & tertiana notha poſt VII. potiſſimum in tertio ſiccitatis interuallo collocatum, acriori præditum qualitate abſinthium omnes fere præbuerunt. in colico dolore ex craſſioribus ſuccis excitato poſt eandem diem medicamentum perſcripſit Aetius. in vuluæ ſtrangulatione tantumdem ſpatii naturæ conceſſit Paullus. Alexander Trallianus poſt VII. quoquę lethargo correptum, vt in balneum deſcenderet, iubebat. verumenimuero ſi diligens medicus ſtudioſe perpenderit in ipſo iudicii die naturam materiæ copia obrui, atque ad eam repellendam plane imbecillam eſſe, accurate animaduerterit (quod ſignis quibusdam nullo negocio intelliget, modo animum intēdere velit) commo-

do naturæ ſemper facere medicum illum iudicamus, qui in ea ipſa die, quæ iudicium exercet, ægrotum perpurgarit. idque conſilium maxime vtile eſſe cenſemus, nihilque naturæ incommodare arbitramur. ea enim in re Medicus naturæ transactor, ac miniſter erit. tres vero ſunt purgationis gradus: in primum venit ea, quæ naturæ virtute, ac felicitate fit, quæ & ad partes, quibus principatum minime damus, humores propellit. quo potiſſimum tempore natura ſane oſtendit medico quando ad medicamentum properandum ſit, vt expellantur humores, qui vel multitudine, vel qualitate eam male habere ſolent. in alterum aſcendit illa, in qua naturam ſociam, atque adiutricem habemus. in tertium peruenit ea, quæ in naturę imbecillitate, ratione conſilioque medici excitatur. hac de re nobis iuuenibus magnam ortam fuiſſe meminimus diſceptationem, ac quæſtionem, quam duobus voluminibus diligentiſſime perſecuti ſumus, quæ ἀντιλεγόμενα inſcripſimus. illud interea non omittam, quod ego vſu doctus verum plane eſſe comperi, quod ii, qui noctu in ſomnis cernunt, quæ exterrent, & cum vigilant nihil eorum, quæ ſecundum quietem viderunt, obliuiſcuntur; & ſomnia cuncta probe narrant, nihilque omittunt, humoribus multis affluunt, & purgatio primo quoque tempore illis neceſſaria eſt. verumtamen vnde digreſſi ſumus, aliquando redeamus.

CAP. XXII; *Maturitatis gradus in materia perſequitur.*

ERGO cum natura id vnum conatur, vt humorem peccantem ſibi ipſi aſciſcat, & ſimilem faciat. id quoque agit, vt eius qualitates retundat. etenim ſi bilis flaua morbum excitarit, quę acrior ſit, & male oleat, cum matutuerit, continuo pallidior redditur, & nihil olet. quin etiam humores, qui è cerebro per palatũ, & nares

nares defluunt, principio aquei, tenues, copiosi, & acres sentiuntur, deinceps eorum maturitatem natura aggressa, crassiores fiunt, & minus acres, & modici euadunt: bilis flaua leniorem, & (vt ita dicam) obtusiorem calorem postulat, pituita acriorem; melancholia vero cum humore calorem coniunctum flagitat. atque ars hoc ipsum præstare debet, vt calor congruens aptusque ad eos humores maturandos protinus reddatur. necnon eam virtutem, quæ maxime retinet, firmam facere debet. neque enim particula aliqua, quam attraxit, materiam amittit, nisi vel ipsa, vel ea, quam contingit, in contrariam euaserit naturam. quin ne superuacanea quidem vnquam abiicere solet, nisi ab eadem particula eadem materies in contrariam conuersa sit qualitatem: quamobrem magni nominis Medici, vt ea nulla re labefactetur, perpetuo enituntur. natura cum materiam delinit, mouet, ac mutat eam caussam, quæ morbum concitat. caussarum autem mutationes temporum morborum sunt cõuersiones; dum enim vltro, citroque materia versatur, principio naturæ functio paullum imminuitur: omne enim agens agendo aliquid quoque ei protinus perferendum est ab eo, quod cõmutare conatur. cum vero natura hostem magis ac magis insequitur, materia ardet, & naturæ imbecilliora, deterioraque consequentur opera. vbi tandem pugna acerrima est, materia plane inflammatur, ac furit. ægrotus autem misere conflictatur, cominus statur. natura superior tamdem, victrixque discedit. impetus, vel status, vel vigoris spacium tantũ est, vt omnino sub sensum cadat, & latitudinem obtineat; differt vero maioris minorisque ratione. ac mihi sæpius, ac multũ veterum Hippocratis, Galen q; medicamentorum rationem repetenti illi & concoctorum humorum, & medicamentorum cum naturam, tum quantitatem egregie intellexisse mihi semper visi sunt. quibus & temperamentorum notitiam,

& locorum, & aeris conſtitutionem adiunxiſſe veriſimile eſt. qui labantes humores fortioribus medicamentis extrudebant, atque ab ægrotis continuo peſtem omnem auferebant. nos autem immature medicamenta damus, & leniora, & ſpecioſa, & magno diſpendio conquæſita perſcribimus; quæ ſæpe ad vniuerſi morbi euentum nullius ſunt momenti. ea nos ignorare cenſeo, quod & hæc acriora medicamenta horreamus, & concoctionis gradus nos ſane fugiant. obſcuræ præterea nobis ſint humorum quantitates, quas coniectura exploratas habuiſſe illos credibile eſt, quod tunc ea medicamenta ſalutaria ſemper reperiebantur, quæ nunc vſu cognita ſunt pernicioſa naturæ, atque ægrotis grauiſſima.

Cap. XXIII; *Mali humores aut craſſiores, aut tenuiores.*

Sibi vero, qui malo ſucco præditi ſunt (namque de hiſce dicere reliquum erat) alii craſſiorem, alii tenuiorem humorem gignere poſſunt. tenuem generant porri, allia, cepæ, & huiuſcemodi: craſſum vero lentes, caro bouina, cicer, & reliqua, quæ ſatis longa oratione perſequutus eſt Galenus in libro De bonitate & vitio ſuccorum. hi autem ſucci, qui crudi ſunt, alios atq; alios poſſunt afferre morbos. nam ſucci mali, crudi, & tenues plerumque morbos acutos generant, quibus ſubſequitur maligna febris, ſi in venis putreſcant humores; ſin extra venas, ac in parte aliqua materiæ coitio facta ſit, & Eryſipelata, & Herpetes orientur, & ſi quis & alius morbus calidior. ſucci autem mali, crudi, & craſſi, ſiquidem magis ad pituitam vergant, articulares itidem, vt craſſi humores ex boni ſucci alimentis geniti morbos excitabunt, podagras, nephritides, aſthmata, lien, iecorisq; ſcirrhos, verum hic humor craſſus quodammodo iam melancholicus

magis

magis minusque eſt: ſi igitur ſuccus malus, crudus & craſſus ad melancholiam ſpectet, cancri concitabuntur, lepræ, pſoræ, quartanæ, melancholiæ, & huiuscemodi. & quoniam hi ſucci varie commiſceri poſſunt, quæ quidem permixtiones nomine carent, atque eas maxime in morbis putridis obſeruamus, iccirco pro ratione diuerſorum humorum, varii quoq; gignentur morbi, vt herpetes, qui à craſſiori bile, atque acriori ortum ducunt, & phagædenæ, quę ex bili præter naturam aduſta fiunt, & alia huiuſcemodi, quæ maligna vocantur vlcera. & quoniam in malignorũ humorum ſermonem deuenimus, non alienum videtur mihi indicare, qui nam ſucci maxime accommodati ſint ad malos mores ſuſcipiendos, & qui non.

CAP. XXIV; *Humores prauos, malignos, venenatos eſſe; & de pituitæ ſalſæ maturitatis ratione.*

HVMORES illi maxime ſolent malos mores ſuſcipere, qui & bilioſi, & melancholici ſunt; etenim malignitas humorum quædam prauitas & vicioſitas (vt ita dicam) intenſa eſt, quæ cum maturitati obeſt, tum vero ea conſequuntur euenta, vt periculum quidem oſtendant, verum ſpem ſalutis minime adimant. hæc & retundi, & attemperari, hoc eſt κατακεραστικεῖν poſtulat. diximus autem vitioſitatem, & malitiam intenſam eſſe, propterea quod vitioſi humores protinus maligni non ſunt, & prauitas veluti via, & gradus quidam eſt ad malos mores induendos. mali autem mores medii quidem ſunt inter prauitatem, & venenoſitatem. etenim humores maligni non ea, quæ tota natura contra illos pugnent, poſtulant, vt ea quæ venenoſa ſunt, ſed contemperantia tantummodo requirunt. humores huiuſcemodi vel ſenſim dum valemus gignuntur, vel certe in ipſis febribus generantur; hu-

morum enim magna mutatio ex corruptione, pharmaco veneno prædito perſimilis eſt. malignitatis notæ nullo negocio colligentur ex IV. libro De iudiciis. veriſimile autem eſt huiuſcemodi malos mores accipere eos ſuccos, qui facillime praui, & vitioſi reddi poſſunt. tales autem eſſe bilioſos, & melancholicos nemo eſt, qui neſciat. etenim cum minime ad alēdum corpus apti ſint, tum vero à natura veluti ſuperuacanei extruduntur. Pituitæ genera maligna raro vocata memini. appellatur quidem pituita craſſa, tenuis, viſcoſa, ſalſa, ſalſuginoſa, vetuſta, torrida, arida, dura, facile partibus inhæreſcens, gelida, vitrea, at maligna minime. haud tamen me fallit aliquando quidem & pituitam ipſam malos mores accipere poſſe, quemadmodum & ſanguis. etenim in annis peſtilentibus febres ex ſanguine concitantur, quæ peſtiferæ ſunt. ſanguis malignus dicitur & in inflammationibus quæ nobiliores partes occupant, pulmonem, iecur, ventriculum, quod eas ſæua quædam euenta conſequi ſoleant; præterea malignus eſt, ſi ex quibusdam fructuum generibus genitus ſit, diutiusque in vaſis retentus morabitur. inedia poſtremo reddit humores malignos, qui initio praui, ac vicioſi euadunt, deinde etiam malos mores induunt: melancholicus humor ſuapte vi, & natura malignus eſt, ſanguis dulciſſimus. alii duo inter hos medii, vt amborum cinni ſint. quo pacto cognoſcantur, tradidimus in noſtro τῶν παρασκευαστικῶν. hæc humorum malitia ſi vehementius increſcat, in venenoſitatem quãdam deſinit, quam aut retundere oportet, aut euocare, quæ antiquiſſimi quique medici obſeruarunt. qui cum ægrotos veneni aſſumpti gratia viſerent, diligenter inueſtigare conabantur, num adeſſent propriæ veneni notæ, ac ſigna. quæ ſi apparerent, rem ſe firmiſſimis argumentis tenere arbitrabãtur. ſin minus haud eos fallebat ſæpenumero citra lethalis veneni potionem, humores ſimiliter, vt epoto veneno corrumpi

rumpi ſolere. vellem hoc ſtudioſius, & accuratius in rei medicæ vſu nonnulli attenderent, qui perſuaſiſſimum habent nullam vnquam huiuſcemodi humorum in ægrotis curandis rationem habendam eſſe. qui minus ſane offenderent, & minus errarent in perſpicienda, ac prædicenda morborum quorundam vi, ac grauitate. quare ſtudioſos omnes adhortor, vt antiquiſſimorum auctorũ grauiſſimam ſententiam neque inané neq; leuem ducant; nunquam enim parui apud quemquá eorũ de re medica ſentẽtia exiſtimatur: quin etiam euentis nos ipſi verum id eſſe quotidie animaduertimus, ac notamus. an non cauſſæ aliquæ eorum, quæ in corpore noſtro gignuntur, poteſtate, virtuteq; tum virus rabidorum canum, tum lethalium medicamentorum ſpeciem habent, quæ etſi in affecto ægritudine loco nullam prorſus euidentem habeat notam, ſpacio tamen IV. aut VI. menſium, poſt longiorem etiam temporis vſuram hominem perimunt? eum, qui phrenitide laborauit, nonne veluti, qui lethali veneno epoto, poſtridie, aut tertio die moriuntur, qualitate non copia veneno peſtifero haud diſſimilis vitioſus in illius corpore coaceruatus humor 2. die iugulauit? vidi quemdam, qui maximo teſticuli dextri dolore vexabatur, qui cõtinenter minime affligebat, ſed repente inuadebat cum ſummo primum ilei dextri cruciatu, deinde omnis morbi vis in teſticulum illico prorumpebat tantis cruciamentis, vt ægrotus in terram volutari, atque doloris magnitudine eiulare cogeretur. ſcrotũ rubebat, teſticulus dexter in ſiniſtram partem conuertebatur, atque ſub ſiniſtrum ita ſubiiciebatur, vt vniuerſus plane ab illo contegeretur; dolores illi diutius minime affligebant, ſed ſtatim remittebant. adoleſcens erat Nanatenſis, pinguis, magnus, ſummus vir, morbus vero diuturnior. Omittere non poſſum pulcherrimum illud Aretei antiquiſſimi ſcriptoris, & probatiſſimi, qui infinita prope in homine

reperiri affirmat, quæ eandem ſpeciem cum antegreſſis cauſſis obtinent, & ſuccos, quos mors continuo conſequitur, tum in corpore noſtro oriri, tum vero à natura in terra gigni ſolere teſtatur. necnon morbos quoque venenis perſimiles gigni ſolere tradit: vnde nemini mirum videri debet in principio eius peſtilentiæ, quæ Athenas vexauit, multos inuentos fuiſſe, qui à Peloponenſibus in Piræi puteos venena coniecta fuiſſe exiſtimarint. Lugduni proximis ſuperioribus annis cum peſtis vrbem illam inuaſiſſet, pauperesque multos principio perculiſſet, nonne ab Vgonottis puteos venenatos fuiſſe vulgo dictitabant? nimirum non ignorant homines haud vulgarem eſſe peſtilentis morbi cum venenis ſimilitudinem: venenati ſucci illud poſtulant, vt aut medicamenta cum illo veneno tota natura pugnantia præbeamus, aut eos detrahamus; nam nunquam fere contigit, vt illos contemperando vincere, ac ſuperare poſſimus. verum hæc ad eorum curationem pertinent, quam nos in hoc libro perſequi in animo minime induximus. cuncti igitur prædicti humores eadem ratione in corpore maturantur, qua & antea ſalſam pituitam maturari dicebamus. quæ tametſi humidior videatur, calidior tamen, & ſiccior eſt. Quamobrem humida, & frigida maxime poſtulabit. neque vero ocioſe expectandum eſt, vt maturitate eius abſoluta protinus à natura extrudatur; nam cum craſſior ſit, vix quidem mouetur; terrea enim natura prædita eſt, ac diutius in corpore moram trahit, nulloque modo in atram bilem euadit, & medicamentis à Medico propellitur. neque vero ad id comparanda nobis ſunt ea medicamenta, quę validiora, & calidiora ſunt; ea enim & intemperiem mirifice augent, & magis obeſſe quam iuuare ſolere optime norunt, qui aliquem in re medica vſum habent.

CAP.

CAP. XXV; *De bilis maturitate.*

NVNC tempus eſt, vt de reliquis humoribus agamus, in quibus perſequendis quemadmodum illi humores maturari debeant, manifeſtius apparebit. principio igitur veniat in medium bilis, de cuius maturitate magna quædam exiſtit lis, ac diſceptatio inter iuniores medicos. inuenti ſunt quidam qui attenuantibus & acrioribus eam incîdi oportere contendant. qua ratione adducti decurrerunt ad origanum, hyſſopũ, tetragorigonon ex aqua mulſa incoctis. ſunt etiam qui contraria inducti ratione, eam incraſſandam eſſe præcipiant. alii ne maturari quidem debere arbitrantur; etenim craſſos, tenacesque humores ad depulſionem accommodatos reddimus eos incidendo, tenues faciendo, meatusque denique reſerando. billioſi humores tenuiores ad depellendum aptiſſimos minime maturari poſſe affirmant; etenim ex huiuſcemodi maturitate craſſiores redderentur, & minus omnino apti ad expellendum. alii vero cum crudi & ſint, & appellentur ab Hippocrate, illorum protinus maturitatem aut expectandã, aut arte moliendam eſſe cenſent. quid hac in re meo iudicio ſentiẽdum ſit, breuiter, & dilucide mox aperiam. verum illud inter initia animaduertendum, quod & antea teſtati ſumus, maturitatem huiuſcemodi humorum pręparationem eſſe quamdam ad cõmodam, atque tutã purgationem. quod cum ita ſit, perpendendæ diligenter ſunt & bilis differentię; & quid nam ſit, quod bilis eductionem aut impediat, aut periculoſam reddat, cõſiderandum. hæc ſi inuenerimus, & quodnam genus maturitatis huic humori conueniat, inueniemus; & quid potiſſimum ceteros deceperit, facile perſpiciemus. bilis autem quædam eſt flaua, quædam pallida, quædam vitellina. flaua conſiſtentia ad ſanguinis tenuitatem quam proxime accedit, & minime concreſcit, & à quocunque impellente vltro, citroque verſatur, quod te-

nuioribus partibus prædita ſit. Hæc cum humidior redditur ipſius color non flauus, ſed pallidior euadit. euenit nonnunquam vt eadem craſſior fiat, nimirum cum calore magis ac magis dilapſa, ac diſcuſſa fuerit illius humiditas, quæ vitellina appellatur, ouorum enim vitello perſimilis videtur. atque hæc in vaſis reperiuntur bilis genera, quæ adeo calida natura prædita ſunt, vt eorum incendium, atque feruorem non ſolum ægroti, verumetiam qui ægrotos adſeruant, facile ſenſu percipere poſſint. etenim in febribus tertianis, continuis, atque ardentibus in quibus flaua bilis in maioribus venis ac cordi proximis exputreſcit, magnis peruri ſe ardoribus ægroti ſentiunt. hanc adeo inflammatam, atque ardentem nemo ſanus attingit, neque mouet; etenim periculum eſt, ne mota aut partem aliquam principem occupet, aut tormina excitet. quod ſi caput occupabit, inſania orietur; ſi iecur, aut ventriculum inuadet, eryſipelata concitabit. huc accedit, quod ſi mouetur immatura, minime tota ſequetur, quoniam nondum ſegregata, commodaq; eſt ad euacuationem. hac ratione (vt arbitror) adductus Hip-
» pocrates illam præclaram ſententiam protulit: *In acu-*
» *tis morbis* (quorum ſane materia flaua exiſtet bilis) *ra-*
» *ro quoque inter initia purgare licet.* aut igitur expectanda eſt eius maturitas, aut ſtatim extinguenda; bilioſi enim humores vel euocantur, vel extinguuntur. extinguuntur autem aqua frigida, quam tantopere antiqui in huiuſcemodi febribus laudarunt. quod ſi aliqua ex illis obſeruationibus quas vt diligentiſſime perpenderemus, litteris mandauit Galenus, impedimento erit, quo minus illam ex arte præbere poſſimus: ex præceptis artis eum agere iudicarem, qui antequam humor bilioſus euocaretur, quibusdam materiis humidioribus ac frigidioribus eum temperare conaretur, vtpote qui frigiditate illa lenitus, ac mitigatus, ac veluti edomitus, & tandem diſſolutus naturæ, quæ nunquam à

ſuo

ſuo opere ceſſat, manus nullo negocio daret, & facile, tutoque ſine febris incremento, ac ſine aliquo inflammationis metu educi poſſet. probarem quoque quæ attenuant, ac refrigerant, & leuem aliquam obtinent abſterſionem adſtrictione haud expertem; hæc enim cum ad meatuum, ex quibus humor profluere debet, reſerationem vtiliſſima ſunt, tum vero ad faciliorem purgationem reddendam recte dantur, ſolam quidem aquam, & paucam, quod nonnulli leui, aut potius nullo argumento ducti factitant, laudare non poſſum: etenim præterquam quod Hippocrates narret eam in ventriculo diutius immorari, neq; per vrinã aut cutim ſubtrahi poſſe. illud quoq; accedit mali, quod bileſcat in corporib. calidiorib. ac ſitim excitet: qđ ſi hic humor plane turgeat, tunc nullo negocio euocatur: etenim commotus à natura paullo momento trahitur. quod ſi locum aliquem occupaſſet, nulla remedia tentanda eſſent, priusquam maturuiſſet. quam rem pulcherrime litteris mandauit Galenus multis in locis, quæ cum notiſſima ſint, nihil neceſſe eſt ea adnotare. ergo illud hac in difficultate ſentiendum, quod bilis aut educetur, aut extinguetur. educetur autẽ cum immatura eſt, cumque in morborum principiis turget, aut cum matura eſt. verumtamen non ante VII. ſcilicet, quod indicat eiusdem bilis naturæ deturbatio; quæ ſi ante VII. diem acciderit, cum detrimento haud vulgari conſequi ſolere Hippocrates egregie obſeruauit. longe vero mea quidem ſententia falluntur ij, qui humorem putreſcentem tenuiorem, & calidiorem materiis calidioribus extorrent, qui illud præſtant, vt febres maiores fiant, vigiliȩ, dolores, iactationes, ceteraq; grauiora mala conſequantur, atque ægrotus miſere conſumatur. Galenus vero ea medicamenta, quæ vim ac facultatem attenuandi habent, non humorum gratia magis quam meatuum, quibus debet humor educi, obſtructorum vſurpat. ridicula autem eorum ratio eſt,

qui continuo craſſiorem bilem faciunt, etenim niſi antea deliniatur, craſſior reddi nullo modo poteſt. neque enim craſſior euadere poteſt bilis, niſi ex commutatione qualitatum in mitiorem multo naturam vertatur: illos nimirum ea ratio fefellit, quod quemadmodum humor tenuis, qui pectus occupauit, craſſior faciendus eſt, quod tenuior ſpiritu elidi non queat, quia diffluit; ſic bilis craſſior fieri debeat, vt idonea reddatur ad eductionem. quæ ſimilitudo humoribus in venis putreſcentibus accommodari nullo modo poteſt. Ceteri veritatem aliquo modo attigerunt. nam cum turget, & commota eſt bilis, nulla eſt eius expectanda maturitas; quod ſi locum aliquem occuparit, mora interponenda eſt, donec ea maturitatem aſſecuta ſit, quæ quamuis eam craſſiorem reddat, non tamen continuo inepta euadit, vt profundatur. quod ſi quis nobis obiiciat, quæcunque maturantur, cuncta lenteſcere, illud quidem de vera concoctione minime falſum eſſe fatemur. de eo autem maturitatis genere, quod maxime conuenire dicebamus humoribus qui à natura veluti inutiles depelluntur, vere illud dici (tametſi Alexander Trallianus multo aliter aliquando ſcriptum reliquiſſe viſus ſit) nullo modo poteſt. etenim cum illis humoribus nulla eſt ſocietate natura coniuncta; quare neque diutius in corpore manere, neque lenteſcere poſſunt. humore autem melancholico quamuis ſubacto, atque conformato ali non poteſt corpus; neq; enim quemadmodum & bilis in verum ſanguinem euadere poteſt, quocirca neque proprie concoqui. at cum craſſitie quadam præditus ſit, attenuari poſtulat, & incidi, ne à medicamẽtis tentatus offendat, minimeque ſequatur. hic ſi diutius moratur in corpore putreſcens, aſſatur, & in bilem atram euadit, quæ temperatioribus & humidioribus deinceps indiget, vt profundi commodius poſſit. atra vero bilis ſi in corpore moram fecerit, principio prauam quali-

tatem,

tatem, deinde malignitatem, poſtremo venenoſitatem acquiret. hinc melancholię, hinc ſęuiora quædam euenta, quæ tum viris, tum mulieribus conſequi videmus, quorum rationem neque reddere, neque inueſtigare aliquando ipſi poſſunt Medici athletæ.

CAP. XXVI; *De Ichorum maturitate.*

ICHORES vinci quidem, ac ſuperari à natura poſſunt, at corpus nutrire non poſſunt, quod aqueo, & igneo elemento inter ſe commixtis, neque illis ſynceris integrisque, ſed cœnoſa quadam craſſitie contaminatis procreentur. hos craſſiores nonnunquam facit natura, & qualitates, ſi quas obtinent, acriores, ac rodentes, retundit, aut pulcherrime conſumit, ac perdit, aut extrudit, quæ res naturam plurimum poſſe demonſtrat. Ichores, qui ex ſanguine oriuntur, mites ſunt. qui ex atra bile, acidiores, ac feri. bilioſiores ichores febres vehementiores excitant: deliria quoque & furores gignunt non modo ſanguinis, verum etiam vitioſorum humorum ichores. multos in corpore abundare oſtendit ſudor plurimus in acceſſionis febris fine, nec non dum valentes ſumus. huc accedit victus ex alimentis frigidioribus & aquoſis, vt melonibus, moris, prunis, & potus largior.

CAP. XXVII; *De ſanguinis maturitate.*

SANGVIS vero vel putreſcit intra vaſa, vel extra vaſa. Si extra vaſa, omnino eius profluuium anteceſſerit neceſſe eſt. etenim cum primum in partem aliquam inclinatus eſt ſanguis, principio maiores quæque eius particulæ, arteriæ, venæque implentur, intumeſcunt, ac diſtenduntur deinceps minores, atque ita res procedit, donec ad minimas peruentum ſit. in his vbi ſanguinis coitio facta eſt, nec illum amplius præ

multitudine capere poſſunt venulæ, nonnihil eius per ipſorum ora, nonnihil etiam tunicis præciſis profluat, neceſſe eſt. tum vero ſpacia ipſa vacua, quæ inter prima ſunt corpora eo ſanguinis profluuio implentur, qui tamdem exputreſcit, putredine cuncta conflagrante: quæ illas partes protinus contingunt, calidiora redduntur. ea verò ſunt nerui & venæ, quæ & primæ, & præter cetera vario dolore affici ſolent. quæ cum ita ſint, duorum alterum ſequi neceſſe eſt, vt aut profluuium vincat, aut vincatur. ſi vincit, partis corruptio continuo conſequitur; ſin victa ſit, vel ſanguis in particulam profuſus diſcutietur, vel maturabitur. ſi diſcutiatur, illico particula ad ſanitatem perducetur. ſin maturabitur, duo ſtatim conſequentur & puris generatio, & eius in aliquod ſpacium abſceſſio; pus autem maximum ſignum eſt ad ſalutem. hoc vero nullo negocio intelligere potes ex calidi ipſius vtilitate, ac oportunitate; niſi enim calor vigeat, eiusque vis plurimum poſſit, vlcerum ſanatio longius protrahitur; hoc duobus modis excitatur ex ſanguiue aut cum febre, aut ſine febre. Si ſine febre, particulæ in quibus antea ſanguinis profluuium factum eſt, molliores erunt, ſine dolore, liuoreque; quæ naturam plurimum poſſe, & ſanguinem profuſum belliſſime maturari, & in pus nullo negocio verti poſſe oſtendunt. ſin cum febre, præter duritiem & dolorem, liuor quoq; accedit. in animalium vero corporibus ſanguis è venis profuſus cum à natura ſuperatur, & in pus vertitur, varios ſolet ſuſcipere colores. ſæpe liuidus efficitur, quod huiuſcemodi color medius interiectus eſt inter plane nigrum, & rubrum, & flauum. qui vel fit cum ex floridis appellatis coloribus in nigrum, vel ex nigro in album mutatio accedit; quod maxime euenire ſolet, cum pus ex ſanguine gignitur. ſæpenumero autem obſeruamus ea, quę antea nigreſcebant, cum pus fit, liuida primum fieri, deinde à nigredine longiſſime recedentia colorem ignis

ignis capere, deinde paullatim effici albiora. puris proprius color eſt, qui cinerem repræſentat. id eam obtinet transmutationem, vt neque mala ſimpliciter ſit, cum minime putreſcat, aut male oleat, neque ſimpliciter optima, cum nutritioni idoneum non ſit, ſed media inter has interiecta eſt. neque enim à ſolo calore præter naturam, neque à ſolo naturali conformatur, ſed mixtus quodammodo eſt ex vtriusque natura; calor tamen inflammationis vincit, ac ſuperat eum, qui ſecundum naturam eſt. quare Hippocrates in iis, quæ " ad ſuppurationem tendunt, recidiuam timeri non de- " bere, tradit: illa enim maturitas iudicium ſimul, atque " humorum emiſſio eſt. febres autem conſequuntur " principio, id eſt, corde calefacto; dolor vero, diſtractis ac calefactis præter naturam partibus quę contingunt ſanguinem putreſcentem. vtrumque vero accidere ſolet ex quadam ebullitione atque vſtione ſanguinis; qui vbi omnino exuſtus fuerit, reliquum eius eſt materia alba, vel cineritia, lenta, & graue olens, non abſimilis pulueri, quem ex aduſtione lignorum ſupereſſe videmus, qui cinis vocatur. ea cum adeo craſſa ſit, vt neque cum ſummituntur, aut attoluntur arteriæ profundi poſſit, in partibus illis remanere neceſſe eſt, quæ pus poſtea vocatur. ergo cum cineritium lentum, ac olens ſit, ipſum ſatis loqui videtur ſe genitum eſſe tum à calore præter naturam, tum vero à naturali, ac ingenito; etenim quod à naturali calore perficitur, non male olet; album vero, ac lentum eſt, qualia eſſe ſolent cuncta, quæ à natura victa, ac ſuperata ſunt. pus in vlceribus quoque fit ex ſanguine, quo caro ipſa alitur, ac creſcit, qui per diuiſas venas, & arterias effluit, & tum potiſſimum gignitur, quando libere minime tranſpirat. hinc putidus, & malus odor. in eo vero, cum calor naturalis plane ſuperare nequeat, tandem corrumpatur, quicquid concoqui debet, neceſſe eſt. huiuſcemodi autem eſt & ſedimentum in vrina, quale frequen-

ter in febre laborantibus oculis etiam ipsis vsurpamus, cuius caussa materialis exputrescens humor est, qui tum in arteriis, tum in venis continetur; efficiens vero calor præter naturam vna cum calore naturali vincente, ac superante, qui in solidis corporibus inclusus, hoc est in vasorum tunicis (locus enim in quo alterantur huiuscemodi humores, intra vasa est, quæ & maturandi facultate prædita sunt) nunquam ab opere cessans continenter quicquid sibi accommodatum est, rapit, asciscit, ac assimilat. Quod autem tenue est ac fuliginosum, motu arteriarum extruditur. quod vero crassum est, ac veluti cineritium, sedimentum vrinæ fit. quod non solum partem esse humoris accessionem facientis verisimile est, verumetiam partem quoque esse crudioris humoris, qui nondum exputruerit, credibile est. sanguis autem, qui naturæ carissimus est, nunquam ita putrescit, vt in bilem atram euadat.

CAP. XXIIX; *Calorem igneum minime esse; ac de exanthematibus multa.*

MAGNA vero est similitudo ignis externi, ac comburentis ligna cum calore, qui caussa est vt humores putrescant. etenim quemadmodum ligna perpetuo minime alterantur, sed habent terminum perscriptum alterationis; namque eo vsque aduruntur, dum prædita sunt humiditate; quæ vbi prorsus consumpta est, continuo ardere desinunt, quorum reliquiæ cineres vocantur. eodem modo humorum exputrescentium caliditas tandiu durare dicitur, quamdiu aliquid superfuerit humiditatis; in humorum vero natura plurimum humidioris continetur elementi. in lignis vero huius exiguum quid, sicci vero multum. quod si liquorem quendam, vinum scilicet aut oleum, quæ plurima humiditate prædita sunt, elixaueris, terreni nihil prope superesse videbis. humidum vero attenua-

tenuatum in aerem, & vaporem facile resoluetur. eodem pacto verisimile est humores eos, cum putredine maxime feruent, id est cum febres consistunt, ac declinant attenuatos in ambientem aerem perfundi; superuacuum vero vel exiguum, vel nullum remanere: est tamen inter eos magna quædam differentia; nam crassioribus quamplurimum superest cineris; ex tenuioribus exiguum quid; ex ichoribus vero nihil omnino. ergo pituitæ nulla pars in cinerem vertetur, humor crassus in non multum cinerem redigetur. ex sanguine combusto, atque ex humore melancholico, ac præsertim ex eo qui vocatur atra bilis, quamplurimi cineres subsidunt; quos si ad cutim natura extrudit, exanthemata nigriora excitat, qualia se vidisse Galenus testatur in pestilentia; hi vero cineres crassamenta quædam sunt, qualia in vasis quibusdam ex decoctis liquoribus reperiri solent. Scitum autem illud est humorem melancholicum duplicem esse. alter est pars sanguinis crassior, qui sordi vini, ac fæci persimilis esse videtur. alter vero flaua bilis vehementius combusta, atque assata, facile autem crassorum humorum, & eorum, qui vehementius assati sunt, reliquiæ restinctæ, ac in cinerem redactæ, si à natura non excernuntur, lien occupant; quemadmodum enim in æstate maxime calida lien affici solet, quod natura rarius sit, & sanguis combustus feruensque ob nimios calores eo concurrat; ita in febribus euenire solere verisimile est, id & obseruauit Hippocrates. *Si Æstas fuerit biliosa, & bilis vehementius aucta intus contineatur, etiam splene laborant.* idem Plato in Timæo litteris consignauit, hisce fere verbis: *Quapropter vbi iecur superuacanea quædam occuparint, morbosque excitarint, lienis raritas id liberat, eaque facile recipit.* hoc nos quoque in artis exercitatione fere obseruando notauimus, vt quibus febres exoluuntur, iis si lien assurgat, colorem naturalem amittunt, tardius recreantur, febres minime repetere

ſolent. at ſi aliquo in loco diutius immorantur, incaleſcunt, & putrem quamdam recipiunt affectionem, & in atram bilem nullo negocio transeunt, febresque quartanas excitant. quod vt alia omnia pulcherrime
» animaduertit Hippocrates,cum ſcripſit: *Expectandi*
» *huiuscemodi abſceſſus in febribus continuis, quæ in quar-*
» *tanam deſinunt, quod maxime accidit, cum intermittunt,*
» *occupantque errabilem in modum, atque adeo Autumnus*
» *appropinquat.* hæ autem humorum exuſtorũ reliquiæ, quas cineres appellamus, ſi à natura non profundantur, à nobis euocari debent. euocamus autem ſępe vrinam mouentibus, quam rem meatus ipſi nobis indicant. extrudere vero etiam ſæpiſſime ſolet natura ad cutem, vnde oriuntur exanthemata rubra, rotunda, parua, præſertim ſi bilis exputruerit, quales Hippocrates vidit in Sileno. nigra ſi ſanguis, qualia vidiſſe ſe in peſtilentia Galenus memoriæ tradidit: nigriores, ſi humores melancholici: vlcera excitant, ſi maligni ſunt. in morbis vero non cineres modo, ſed etiam humores ipſos aliquando vel à natura, vel à medicamento extrudi oculis ipſis plane cernimus, per easdem nimirum vias, quas iampridem muniuit natura, vt cõfecti cibi reliquiæ eiicerentur. ergo ſi ſanguis intra venas putreſcat, aut ſuam formam ſeruabit, præſertim niſi valde magna corruptio acceſſerit, aut in alterius naturam mutabitur. etenim ſi omnino corrumperetur, ac eius forma penitus deſtrueretur, nunquam amplius eandem formam ſuſcipere poterit. quare neque poſſet vllum concoctionis genus aſſequi. quod ſi eandem formam habebit, nondumque à natura alienus factus ſit, facile concoqui poterit. ſin in aliam naturam mutatus fuerit, ſcito rudem quandam ac imperfectam eſſe veluti informationem ad ſuſcipiendam vel bilis, vel atræ bilis formam, cuius gignendi ratio huiuscemodi eſt. tenuior, & pinguior ſanguinis pars primo bilioſior redditur, deinde in æruginoſum humorem

conuer-

conuertitur; poſtremo cum ſupra modum aſſatur, ac peruritur, in atram bilem euadit. eius autẽ pars craſſior nimium feruefacta in atram bilem conuertitur. Pituitam etiam in bilem poſſe aliquando euadere nonnulli tradiderunt, cum ſcilicet exputreſcit. at ſi perurens calor eam incendat, in vaporem illam continuo conuertet, præſertim ſi tenuior, & aquoſior ſit. ſin craſſior, & tenacior, lapides & tophos gignet; ſin multo craſſior, ſalſa protinus reddetur. quod ſi naturalis pituita putreſcat, non bilis, ſed ſalſa pituita euadet, formamq; ſemper pituitæ geret, quam calor minime extinguit. quod autem ad Galenum attinet, venit mihi in mentem illum nunquam non Hippocratem tueri ſolitum, à quo multa ſe didiciſſe fatetur. illum igitur in ea ſententia titubantem, vt potuit, conatus eſt excuſare, ita tamen, vt nullum propterea grauius in rem medicam vulnus inflixerit; etenim eo in loco aliorum potius, quam ſuam in ea re expreſſit ſententiam. illud argumento eſt; quod eandem deinceps neque agnouerit, neque inſecutus ſit. neque igitur ex eadem pituita fieri poterit melancholia exuſta: atra bilis, & pituita vno & eodem in loco concluſa aliquando reperiuntur, vt in ſcirrhis, quos nonnunquam bilis atra, ſæpe pituita exſiccata, ſæpius ex vtriusque humorum generibus materia mixta excitare ſolet. de cuius maturatione, quoniam ſatis antea à nobis diſputatum eſt, nulla cauſſa eſt, vt nunc iterum eadem repetamus.

CAP. XXIX; *De humorum mixtorum maturitatis ratione; & huiusce libri peroratio.*

HVMORES vero aliquando inter ſe confundi ſolere manifeſtum eſt, quod duobus modis fieri contingit. vel enim quæ miſcentur, extrinſecus allabuntur, vel ex ipſismet humoribus gignuntur. hoc non niſi in ſanguine euenit, ex quo & bilis, & atra bilis ori-

tur; etenim tenuissima eius pars (vt & antea diximus) combusta in bilem euadit, crassior vero in atram bilem. pituitæ salsæ minime contingit, vt vehementius assata in atram euadat bilem, tametsi alii multo aliter senserint. sanguini vel admiscetur pituita, vel bilis, vel atra bilis, qua in commixtione ad sanguinem plus eorum humorum accedit, quam dum valere solet animal. quæ res in tumoribus aperte admodum se ostendit. Pituitæ vero si admiscetur bilis, reddet eam salsam, & malignam, febresque semitertianas excitabit. Sin atra bilis cum illa commiscetur, eam aliquando acrem, aliquando vero amaram faciet. bili permiscetur aliquando pituita, nonnunquam atra bilis, ex quorum commixtione maioris, minorisq; famæ Auicennę oritur bilis. Ichor humorum serum est: quod si acre fuerit, pituitæq; immisceatur, quæ putrescat, ea salsa protinus reddetur ex nonnullorum sententia. horum humorum mixturâ difficilius multo maturitatem assequi verisimile est propter materierum varietates, ac differentias: de eorum maturitatis ratione nihil est amplius disputandum; namque vniuscuiusque humoris maturitate percepta & cognita, coniunctorum ac copulatorum maturitatem cognoscere difficile non erit. quod vero ad ætates pertinet, pueri facilius, ac citius concoquunt, quam iuuenes; puerorũ enim ventriculi calidiores sunt, quam iecora; iuuenum ventriculi frigidiores sunt, quam iecora. illud argumento est, quod horum vrinæ croceæ sunt, ac rubeę; illorum vero albę. iuuenes melius quam senes concoquunt, atque in illis celerius digeruntur, atq; maturantur morborũ caussę, magisq; viri quam mulieres; quod hæ frigidioris sint, & humidioris corporis totius temperamento prędite, & pinguiores & obesiores, quam graciliores, & ficciores. hos angina, vel pleuritide, iecoris & ventriculi inflammatione correptos, nisi à viribus firmiores sint, cum pernicie ægrotare & à Galeno, & ab omnibus

egregie

egregie obſeruatum eſt.& qui corpore calidiori & ſicciori præditi ſunt, hos firmiores vires minime habere pote eſt. atque ad concoctionem quæ calidiora,& humidiora ſunt, aptiſſima omnino eſſe obſeruamus. vt ſanguis,ac pituita dulcis, deinde cetera pituitæ genera conſequuntur; bilis vero & melancholia concoctionem capere nullo modo poſſunt, propterea quod hic calidior,& ſiccior humor eſt, ille vero frigidior,& ſiccior. & quanto tenuior,& minor copia pituitæ eſt,loco que concluſa calidiori,vt viſcera ſunt,facilius multo concoquitur. Præterea Hieme melius concoquimus quam Vere,& Vere melius quam Æſtate,peſſime Autumno. atq; hæc de concoctione,cuius proprium eſt, id,quod nutrire debet, in nutrientis qualitatem commutare, quod caloris quidem naturalis opera maxime perficitur; differentiæ, ac quaſi partes illius plane explicatæ ſunt. eam conſequitur principio nutritio,deinde ſanitas. maturitatis item proprium eſſe demonſtrauimus materiam,in qua verſatur,quam aptiſſimam reddere ad nutritioné: huiuſce maturitatis auctorem calorem naturalem eſſe affirmauimus,pręterea neminem;huius partes,& differentias quoque oſtendimus. hanc autem aliquando ſomnum,nonnunquã vigilias, ſæpiſſime morbi propulſionem, perpetuo dolorũ remiſſioné conſequi vidimus. de notis maturitatis deinceps accuratius agamus. & quemadmodum ad ſingulorum morborum maturitatem poſſint ſingula accommodari dicamus. hoc vero loco requies quædam animo meo ſit,quæ (ni fallor) & honeſta, & neceſſaria eſt,pręſertim cum obſcuriora queq; ac difficiliora hactenus perſecuti ſimus.quę quanta diligentia,ac ſtudio conſequi potuimus, conati ſumus breuiter, ac dilucide explicare. quid autem præſtiterim, tu iudex eris. mox, quæ reſtant, aggrediar, quæ celerius fortaſſe, quam expectas à me Deo opt. max. & B. M. Nuntiata Tutelina volente,ac adiuuante abſoluentur.

IOANNIS BAPTISTÆ DONATII DE MATVRITATE MATERIÆ IN MORBIS

LIBER II.

AD MICHAELEM ANGELVM. BERTOLINIVM.

CAP. I; *Vulgi iudicio Medicos comprobari; & doctissimos quoque in inuidiam incidere.*

CVM de maturitate materiæ in morbis libellum ſcribere ingreſſus eſſem MICHAEL ANGELE BERTOLINI ornatiſſime, putabam id me aliquando nactum eſſe ocium, quod nunquam à me ſperatum, ſemper tamen à Diis immortalibus votis omnibus eſt optatum, vt tantum quietis, ac tranquillitatis mihi ſtudiisque meis concederetur, vt hoc quicquid eſt, quod inſtitui, quemadmodum vellem, perficere commode potuiſſem. nam hæc res vel ob eius magnitudinem, vel obſcuritatem digna mihi ſemper viſa eſt, in qua excolenda, & explicanda omnes ingenioli mei vires intenderentur. nunc vix dum prima parte ſatis exarata grauiſſimę ſubito tempeſtates exortæ ſunt, quæ me à ſcribendi curſu flectere potuerunt. ſingulari certe quodam in hoc ſum fato, vt ſtatis quibusdam temporibus incredibilem absque mea culpa, quorundam imperitorum offenſionem, certamenq; inci-

incidam;in quod cum incurro,omnis prope meæ vitæ ſtatus perturbatur,ac peruellitur.in meis ſtudiis omnino fortuna vtor aduerſa, quam cum tolerabimus interim fortiter,tum vero præteritorum temporum incommoda,quæ grauiſſima,& acerbiſſima pertuli,meliorum ſpe quantum potero , temperabo. vix credas, quam alieno ſim nunc à ſtudiis animo. antea quidem putabam homini ſtudioſo,ac frugi nihil vnquam deeſſe poſſe ; nunc vero re expertus ſum,non magis à Deo optimo max. optimum ingenium , & præclaram eruditionem, quam bonam fortunam expeti oportere. quæ ſi peſſima eſt, quam ſæpe cum ea tibi inique luctandum eſt? nulli tibi caſus non impendent, imperitorum hominum omnis ferenda eſt inſolentia iactatioque; abiicienda eſt tibi dignitas , libertas, & ſtudia denique ipſa. huc accedit alia quædam haud contemnenda huiuſce artis calamitas, quod vulgi iudicio, ac muliercularum potius, quam doctorum approbatione Medici iudicantur. quæ quid in medendo rectum ſit,ac prauum , ſcire nullo modo poſſunt. quamobrem in re medica facile nonnulli hoc tempore primas ferunt, qui ſi intelligentium ac peritorum hominum iudicium tantum valeret, quantum profecto valere deberet,vltimæ merito ſortis eſſent.tria vero ſunt (vt quidem ego ſentio) quæ præſtare debet vnusquisque qui vere artem medicam vult profiteri. primum morbum , cauſſas, & naturam partis, quæ morbo vexatur , noſcere: deinde quid de totius morbi euentu promittendum ſit, proſpicere: poſtremo recte atque ordine ſua conſilia dirigere , & totam ex arte curationem exequi oportet. quo autem pacto horum quodque efficere , atque aſſequi poſſit artifex, mulieres omnis plane eruditionis expertes intelligere nullo modo queunt. itaque in Medico aut probando, aut improbando nunquam vulgi iudicium cum doctorum iudicio congruere ſolet.

Nemo illum quærit, qui optimus, & carissimu' st.
Illum conducunt potius, qui vilissimu' st.

multa vero (vt inquit diuinus senex) hoc pacto in hac arte solent iudicari. probantur medici non qui recte, atque ordine opus suum conficere, aut qui perfectum scienter reddere possuut, sed qui quamplurimarum muliercularum studia obtinent. quas male de artificibus iudicare, illud maximo argumento est, quod illi, qui ab eis probantur, non dicam à ceteris non laudantur, sed ne ab eisdem quidē diu probari soleant; temporis enim momento de præclara illa existimatione, quam paullo ante ex cōcitatarum quarundam approbatione collegerunt, turpiter deiiciuntur. verum ego fortunam, imperitosque omnes contemnens, hæc & alia quædam mihi, aut potius tibi scribam, cui has nostras vindemiolas maxime notas esse voluisti. ergo habe tibi, quę in singulos fere tabellarios de materię maturitate exaraui. atque ita habe, vt non magis tibi in iis recognoscendis sit contendendum, quam mihi in iis pangendis fuit elaborandum; quod enim ad hanc rem pertinet, est mihi tecum libellus hic communicatus, & tibi inscriptus, verum nisi tibi eundem cōformandum, atque perficiendum surnpseris, vide ne promissi me aliquando iure possit pœnitere. sed non vereor ne ea, qua in me probata es fide, & eo in vniuersa re medica excellenti tuo iudicio, quod dum tecum & Lucę eram, & probare, & admirari eram maxime solitus, hæc ipsa ita emendes ac corrigas, vt ex hoc meo in te officio nullum non mihi constitisse fructum facile sensurus sim. quare ad ea, quæ restant, properemus.

CAP. II; *Notas concoctionis ex excretis sumi; & loci demonstrantur, ex quibus emanare debent excreta.*

ORDO autem à nobis antea propositus maxime postulare videtur, vt de notis maturitatis agamus.

quæ

quæ quoniam via quadam, ac ratione inueniendę nobis sunt, quærendum videtur, quæ nam illa sint, quæ maturari debeant: etenim cum indicia nobis maturitatis sint tradenda, quæ in quadam relatione consistant, ne frustra huc illuc deuehamur, perpendenda diligenter sunt, quæ maturari debeant. In superiori vero libro duplicem esse tradidimus concoctionem; alteram, quam in sanis tantummodo corporibus & humoribus ad alendum accommodatis moliri naturam dicebamus; altera autem in ægrotantibus & humoribus ab eadem natura alienis conspiciebatur, quam maturitatem appellabamus. quarum vtrique illud commune videtur, vt subiecta materies maturetur; in sanis quidem illa, quæ naturæ accommodata est, & ad nutritionem aptissima, & facillima ad concoquendum, deducendum, & in totum corpus diuidendum; in ægrotantibus autem, quę deprauata est, & naturę repugnat, & quæ multa habet, quæ exprimi ab eadem natura debent. quæ diligens magistra ingenita quadam cupiditate omnia sibi conciliandi, & asciscendi agitat, mutat, & secundum qualitates alterat. Hanc autem mutationem, & alterationem, quoniam oculis cernere non possumus, necesse est, vt iis à nobis indiciis cognoscatur, quibus huiuscemodi functiones solet nobis natura opportunis quibusdam ex locis frequēter enunciare. etenim cum maturitas non perficiatur, nisi vbi coitus aliquis materiæ factus sit, quæ cum tota pura nō sit, & minime ad nutritionem accommodata, multa dum perficitur, necesse est, vt ab ipsa reprobentur, ac respuantur, quæ deinceps suis quæque locis excreta, & ante oculos nobis posita affectionem ostendunt eam, quæ inest in ea particula, in quam materiam decurrisse dicebamus. quæ si matura erunt, integram particulam; sin cruda, vitiatam & morbosam demonstrabunt. Loci autem ex quibus emanare debent excrementa (quod in nostro scripsimus Apparatu) dili-

genter perſpecta materiæ,& morbi ſede facile cognoſcemus ex poſitu partium,& eorundem conformatione. nam quemadmodum poſitus partium in curandi ratione, qua parte materiæ coitus euocandus ſit, Medico indicare ſolet; ſic & nobis oſtendet viam, qua natura ſuperuacanea poteſt educere. Iocinore affecto tum aluus, tum veſica, quæcumque erunt ſuperuacanea reddet. Cerebrum multos habere meatus, quibus poteſt commode ſuperflua euocare, ex conformatione ipſius intelligemus; etenim ſi ea pars cerebri læſa eſt, quæ anterior dicitur, ex naribus excreta profluent; ſin media, per palatum; ſin poſterior, per nucham & medullam fluxio excidet. qua de re pluribus veterum auctorum teſtimoniis admonemur: quo circa in febribus omnibus in quibus in venis materiem putreſcentem ſuperare dicimus (ac cum dico venas intelligi quoque velim arterias) vrinas maxime perpendimus. in lateris dolore primum ſputa, deinde vrinas ſi ſit ſubſecuta febris. & in dyſenteria quæcunque aluus excernit, præſertim ſi febris minime acceſſerit: de quorum maturitate, & cruditate non ſolum antiqui, verumetiam iuniores quamplurimi diligentiſſime quæſierunt.

CAP. III; *Indiciorum quædam propria, quædam ſuperuenientia.*

DVo autem indiciorum genera in noſtro Medico apparatu eſſe tradidimus, alterum morborum proprium, alterum vero ἐπιφαινόμενον à Græcis appellatum. Dyſenteriæ propria ſigna ſunt dolores inteſtinorum, qui mordere videntur, aluus perturbata, febris, ſi maior morbus ſit. quorum nullum maturari dicimus; neque enim febrem aut dolorem quiſquam ſanus dixit vnquam matureſcere. quemadmodum neque in dolore lateris tuſſim, ſpiritus difficultatem vnquam recte maturari quiſquam affirmauit. Quæ vero ſuper-

ſuperuenire dicuntur, ea quoque duplicia ſunt; quædam enim propria ſunt morbo, cui ſuperueniunt, quędam multis aliis communia. propria doloris lateris ſputa; deſtillationum, quæcumque ex naribus excernuntur; oculorum inflammationis, pituita, quam ipſis aliquando inhæreſcere videmus. Alui vero deiectiones tametſi dyſenteriæ propria ſunt, non tamen huius vnius tantummodo indicia ſunt; namque & in aliis quamplurimis inſpiciuntur morbis; locorum enim ex quibus excernuntur, indicia præbent. quæ loca plurima eſſe nemo eſt, qui neſciat. vrina etiam renum, veſicæ, vaſorum, quæ ad vrinas pertinent, penis, & ſi qua alia ſunt, per quæ feruntur, indicia enunciat. cum autem (quod & antea diximus) quicquid in parte affecta ſupereſt, cum excernitur, affectionem, quæ illi ineſt, oſtendit, in iisdem indicia maturitatis maxime contemplanda ſunt, quæ ſuperuenire dicuntur. ea vero ſuperuacanea quædam ſunt, quæ natura extrudit per eas vias, quas ſibi commodiores comparauit. vaſa per vrinas quæcunque ſuperuacanea ſunt, profundunt; venter tum per aluum, tum per gulam; thorax per aſperam arteriam; cerebrum per nares, palatum, aures, quæcumque aut lædunt, aut grauant, excernit. hæc indicia, vt & alia quæ paullo poſt enumerabo, iccirco ſuperuenientia ab Hippocrate dicuntur, quod principio quidem minime ſubſequantur, verum paullo poſt oculis noſtris exponantur. hæc eadem ſimpliciter etiam ſigna vocata ſunt ab eodem, cum ſcriptum reliquit: *Signa hæc ſunt: odores corporis, oris, ventris, flatus, vrinæ, vlceris, ſudoris, ſputi, narium.* hæc eadem matura nunquam ſtatim feruntur, id eſt, in morborum principiis, aut in incrementis; nam (vt idem magiſter ſcripſit) *quæ optime iudicant, non ſtatim conſequuntur.* belliſſime autem iudicare ſolent, quæ maturitates demonſtrant; neque enim illæ cum pernicie ſubſequuntur. & quocumque tempore conſequantur, fir-

missimam afferunt fiduciam. maturitates enim excretorum omnes nunquam non opportunæ, aut bonæ sunt.

Cap. IV; *Illorum indiciorum quædam videmus, quædam exaudimus.*

ERgo notæ maturitatis primo, & per se sumi debent ex iis, quæ ex partibus emittuntur, in quibus decumbit materia, quę à natura maturanda est. quę tametsi perfecte matura sit, id est, à natura superata, atq; subacta, tamen inter id, quod maturat, & id quod maturescit, merito intercedit (quod in priori libro demonstrauimus) quędam familiaritas, ac veluti societas, quæ aliis quoque indiciis demonstratur. quæ non vt superiora à nobis oculis vsurpari tãtummodo possunt, verumetiam exaudimus. etenim materia, quæ morbum excitat, cum aliquibus semper qualitatibus prædita sit, quibus partes vel calefacit, vel refrigerat, exsiccat, humectat, grauat, erodit, fœdo odore mouet; natura, quæ in membris omnibus dum viuit animal, inclusa est, cum eam ciet, & agitat, id vnum conatur, vt eam sibi accommodet, ac conformet, & si fieri possit, eadem nutriatur; quare ipsa est omnino appetentior. qđ præstare nullo modo potest, nisi se illa liberet molestia, qua cõfligitur à qualitatibus illis sane quam alienis, vnde animal dolet, in febrem incidit, siti affligitur, iactatur, vigilat, difficilem spiritum trahit, delirat, corpus habet aridius cum ingenti feruore. dum autem qualitates illas retundit & maturitatem molitur, minus animal dolere, minus se conflictari, febrem remittere, sitim paullulum quiescere, corpus mollius, calorem infractum esse, somnum paullatim accedere, melius multo quam antea spiritum recipere, ac reddere, & mentem denique redire audimus. cum vero perfecta, atque absoluta maturitas est, nullo amplius dolore vrgeri ægrotum intelligimus; somnum plenum

rium in promptu eſſe perſpicimus, æquales ſpiritus eſſe cognoſcimus, mentem conſiſtere audimus, febrem conquieuiſſe, à ſiti vendicatum, corpus integrum eſſe, & ſine calore ſentimus; hocque eſt ipſa maturitas. cum enim natura ſuperior morbo eſt, eamque ſuperauit, ac eius impetum fregit, & ea, quæ illam male habebant, expulit, fugauit; tunc humores maturitatem protinus aſſecutos eſſe recte dicimus. Si igitur ex iis, quæ cernimus ex Dioclis ſententia, cognoſcere debemus ea, quæ in tenebris latent, natura ipſa per ſe ſatis loqui videtur, hęc eadem ſigna demonſtrare poſſe maturitatem, & cruditatem humorum. quæ tametſi in conſpectum medicorum minime dentur, illa tamen ab iis, qui ægrotos adſeruant, protinus exaudire ſolemus.

CAP. V; *In quibusdam morbis pauca quadam conſequi ſymptomata; & de ſignis ſtatus morborum mortiferorum; & de hectico affectu.*

NEQVE vero tam imperitus ſum, neque tam nullius vſus Medicus, qui XXXV. prope annos artem medicam exercuerim, vt plane neſciam contingere non nunquam ſolere, vt naturæ vires adeo languentes ſint vel propter multitudinem materiæ, vel eiusdem malignitatem, vt in morbis nulla ſæpe, vel certe pauca quædam ſymptomata conſequantur, in hoc caſu humores naturam ſtimulant, & affligunt, & materiæ, quę longe abſunt à maturitate, protinus eiiciuntur, ac excutiuntur, vires vero naturæ continuo exhauriuntur: in illo autem copia materiæ natura operta, oppreſſaque vires amittit, nunquam releuatur, nunquam recreatur, nunquam plane ſe erigit; nulla enim eſt poteſtas tanta naturæ, quam morbi poteſtas aliquando non exuperet. at nos de ea natura verba fecimus, in qua multum roboris, firmitatis, viriumque ineſſet. in gra-

ui peſtilentia obſeruamus, homines ſæpe exſpirare, antequam plane ſe ęgrotare intelligant. nonnunquam vero quamuis ægritudo aliquod habeat ſpatium, tamen quod naturæ vires ſane quam attenuatæ ſint, atque hecticus quidam affectus conſecutus ſit, nulli caſus interueniunt, quos morbis eiusmodi nunquam non attribuere ſolemus. iacent in lecto ægroti, quos leniori febre correptos diceres, de mente deturbati minime videntur; ſiti vehementius non conflictantur; cibos aut minime reſpuunt, aut lentius, & faſtidioſius edunt, nulla iactatio; animum deſpōdent, non lectus, non quies, non adminiſtri iuuant, nulla domus opportunitate leniuntur, oculi illacrimant. qui ægrotum adſeruant, eam morbi tempeſtatem nullo negocio illum ſuſtinere poſſe arbitrantur, nullum caſum extimeſcunt. Si dolore lateris correptus eſt, nulla fere tuſſis adeſt; ſi dyſenteria conflictatur, aluus illum grauius non exercet; ſi furor vrget, ſomnum capere videtur. at hi caſus nunquam non fractæ, ac debilitatæ naturæ notæ ſunt, quæ poſt miſerrimum ſtatum nunquam non accedunt. quod ſi quando nonnihil conari, & experiri videtur natura, conatu ſubito deſiſtit, neque tanta contentione agit, quanta agi debuit. hoc minime animaduertit, atque adeo plane ignorat medicorum vulgus, qui temere quoque gaudet, ſi morbo nulla ratione alleuari videantur ægroti. at hæc inter pernicioſa ſigna, & ſymptomata aggregari ſolent. nimirum neſciunt, cum natura concidit, & extinguitur natiuus calor, huiuſcemodi caſus ſemper conſequi ſolere. ſic & in iis partibus quæ, prauorū humorum profluuio totæ in tumore ſunt, cum natura præ imbecillitate humorum illorum maturitatem minime inſtituit; ægroti nec febre, nec dolore vehementius vexantur; tantumque abeſt, vt pus ſubſequatur, vt partes illæ plane exputreſcant, easque ferro vel ingratis excindere aliquādo conemur. at Hippocrates cum pus gignitur, dolores,

dolores,& febres concitari tradit;quod natura humores,qui tumorem concitarunt,calore,& ſpiritu agitet, ac mutet. quid?nonne egomet ſæpe vidi multis repente melius eſſe ægrotis,qui cum peſte,ac pernicie paullo ante ægrotarunt? qui cum illis exitium propediem imminere audacter pronunciaſſem, in eoq; conſtanter perſeueraſſem, illudebant me non modo Medici, verumetiam, qui ægrotũ adſeruabant.hunc vero cum paullo poſt vitæ finem facere viderent, præclare tamdem aliquãdo intellexerunt, qui meliuſcule,cum pernicioſa anteceſſerint ſigna, ſe habere videbatur ægrotus,illum in pernicioſiſſimum morbum incidiſſe.in iis morbis,qui ægrotos protinus rapere ſolent,principio cruditatis ſigna notantur, idque morbi initium eſt; in incremento vero cruditatis etiam ſignis apparentibus mortifera præterea accedunt,quę non modo mortem denunciant, verumetiam magnitudinem morbi eam oſtendunt,quæ ſecundum ipſius morbi naturam dicitur,non quatenus ad ægroti vires refertur.at eorũ impetum plane deſcribere non poſſumus: etenim in iis, qui ſeruari ſolent, maximæ acceſſiones totum illud tempus plane cõſtituunt;morbus enim maturitatem aſſequitur,& puris generatio ſtatus terminus eſt. in iis vero qui morbis conſumuntur, eorum ſtatum ratione ipſa aſſequi debemus, qui maximus eius impetus eſt. eò peruenit aliquando morbus, aliquando vero antequam gradum illum altiſſimum aſſecutus ſit, plane hominem iugulat. poſtquam vero ſummum illum gradum tenuit, ægrotus extabeſcit, affectusque conſequitur, qui hecticus plane eſt. præter naturam vero affectionem altius radices egiſſe demonſtrat.quemadmodum cum humiditas corpora commutat ſolidiora, nondum autem commutarit, ſimul ac extruſa eſt, ſolidorum quoque commutatio de medio tollitur; quippe cum affectio fiat, atque nondum abſoluta ſit, & eiecta ea, quæ ipſam procreabat, cauſſa,nullo nego-

cio ægritudo tollitur. Sic si perfecta fuerit affectio, tametsi propulsa sit humiditas, non tamen potis est in statum valetudinis pristinum particulam restitui. ligna etenim ad ignem propius admota calefiunt quidem, at non illico comburuntur. quod si ea priusquam incendi, comburique incipiant, abstuleris, cito eam caliditatem abieceris. quod si inflammari cœperint, tametsi ab igne amoueris, nihilominus plane exurentur. statum igitur horum cognoscemus, si in vnoquoque morbo, quod pessimum sit, animaduerterimus. morborum enim tempora, non horarum aut dierum numero definiuntur, sed ipsius morbi gradu, dissimilitudine, ac varietate. & cum ad id peruentum sit, si recte obseruauerimus, statum pestiferi morbi continuo notabimus. in ventris profluuio colliquatio est; in cholera venter concidit; in phrenitide summa vigilia, & delirium; in lippitudine acerrima lacrima; in dysenteria maxima superuacan eorũ copia, maxima deiiciendi cupiditas, eaque frequentior, cibi fastidium maius; in aurium dolore maximus dolor, maxima febris, ingens delirium; in inflammationibus quæ interiores corporis partes occupant, maximus dolor, maxima sitis, iactatio, vrinaque crudissima. hisce consequuntur interitus signa haud obscura. in phrenitide exarescente cerebro, eiusque neruis ægroti vix sentiunt, non amplius iactantur, iacent, vocem vix edunt. in inflammationibus amplius non dolent, vrinæ deteriores minime descendunt, conquiescunt ægroti, quæ pestiferi morbi declinatio quædam est; cum enim accessiones, & dolores leniores apparent, cum maiores, acrioresque merito essent in metu, tunc morbum naturam superasse, victamque iam iam discessisse optime intelligimus, præsertim si signa primum notentur, quę vitæ iacturam ægrotum facere posse indicent. vt virtutis casus, cum tamen vel Medici iudicio cominus diu steterit. deinde ad summã cruditatem si mortifera pessi-

pessimaque signa accesserint, quæ in præcipiti ægrotum esse demonstrant. verumtamen hæc ab iis, quæ tractabamus, longius sane absunt, ad rem igitur aliquando redeamus.

CAP. VI; *Eadem signa & Hippocratem & Galenum animaduertisse; & quædam maturitatem; & quædam cruditatem indicare; & quædam neutra esse.*

NATVRAM tantummodo commemorabam: Diuinum Hippocratem illud idem animaduertisse obseruamus, cum illa litteris mandauit: *Signa, quæ iudicia enunciant si ante maturitatem, & in principio morbi subsequantur, aut mortem subesse, aut difficile iudicium significant*: id est, indicant aut naturam imbecillam, infractamque materiæ succumbere, aut illam tam cito superare non posse, & tempus iudicii prorogari. *Quæ mortem denunciant* (vt ait idem Hippocrates) *dies vnus, aut nox vna decernunt; quippe quæ infirmam à viribus naturam indicant. haud autem aliæ notæ nascuntur, atque epotum medicamentum subsequi solent, aluus perturbata, vomitus, anxietudo, & alia huiusce generis. ergo si postero die, aut nocte huiuscemodi signa euanescant, optimum est. sin iterum accedant, aut perpetuo insint, pestifera sunt.* Quid vero est, obsecro, iudicium extractum ostendere, nisi materiam nondum subactam, mutatamque demonstrare, vnde illius maturitatem in longum duci necesse sit? Neque vero Galenus, qui acutissimus, sapientissimusque semper ab omnibus cognitus, atque habitus est, in loco ad eam rem explicandam aptissimo, & ad agendum perbono, tantam rem, tam necessariam turpiter præteriit. in priori statim de Iudiciis libro explicans illam senis magistri sententiam, qua pronunciauit maturitates celeritatem iudiciorum, & sanitatis securitatem ostendere, subdit: maturitates maxime obseruari solere in iis, quæ maturan-

» tur. *Quænam vero hæc sunt*; inquit: *non alia sane, quam*
» *quæ ἐπιφαινόμενα dicuntur*. quæ qualia essent, cum sub-
» tilius explicasset, statim adiunxit: *Quæ autem post appa-*
» *rent duplicia sunt; quædam enim ipsi morbo propria sunt,*
» *quædam vero omnibus febribus communia, quæ sua vi &*
» *ipsa maturitatem, & cruditatem humorum ostendunt.*
ea vero enumerans, profert ea, quæ & Hippocrates ipse pronunciauit: difficulter ferre morbum, facile spirare, & alia, quę iudicia exercere dicuntur, & quę paullo ante à nobis commemorata fuere. dixit autem hæc communia cunctis febribus esse, non quod illis omnia hæc necessario subsequantur euenta, sed quod sæpissime consequantur. quam rem cum ipse diligenter cum animo meo considerassem, ac perpendissem, ea volui potius secernere, ac distinguere, quam cum febribus cuncta coniungens, omnia confundere, permiscere, ac perturbare. idem Galenus duobus haud valde magnis libellis quamuis studio diuerso, ac ratione conscriptis totam artem medicam egregie complexus est; in quorum altero definiendi via, ac lege ipsam sedulo tradere, altero vero à finis præcognitione eamdem planius constituere conatus est. in ambobus quantum orationis breuitas pati potest, de maturitate materiæ in morbis subtilius disseruit. & in priore libro omnia hæc, de quibus tota est instituta disputatio in tria signorum genera distribuit. Quædam enim ad salutem, cum natura morbum vincit; quædam media, cum neutrum superat; quædam vero perniciosa, cum natura succumbit, indicia esse statuit. at quæ quidem manifestam indicant maturitatem inter salubria signa connumerauit; quæ cruditatem, inter insalubria coniecit; quæ vero neque maturitatem, neque cruditatem ostendunt, ex neutrorum esse genere tradit: esse vero & neutra quæcumque nunc quidem hoc, nunc autem illud significant, docet. Quæ humorum maturitatem & cruditatem quoque ostendunt; *Talia sunt*
quoque,

quoque, inquit: *Signa, quæ iudicia afferunt.* hæc vulgo "
κρίσιμα appellantur euenta. "

CAP. VII; *De neutris signis, quæ si inter initia morbi notentur, cruditatis signa sunt.*

DIGITI nigri neutrum dicitur signum, & in Medicis relinquitur, quod nõnunquam natiui caloris extinctionem significant, & mortem subesse ostentant, vnde illa;

In pedibus primum digitos liuescere & vngues,
Inde pedes & crura mori; post inde per artus
Ire alios tractim gelidi vestigia lethi.

aliquando autem atram bilem à victrici natura in iudicio ad digitos depulsam demonstrat: hinc Hippocrates; *Si digiti, & pedes omnino nigrescant, minus pestiferum est, quam si liuescant. verum cetera sunt indicia perpendenda; etenim si facile ferre morbum videatur, & aliud signum accedat, quod sanitatis fiduciam polliceatur, sperandum abscessum erupturum, adeo vt agrotus ad sanitatem sit peruenturus; nigredo vero corporis* (vt ita dicam) *casura.* Labia item vlcerata neutrum indicium recte potest appellari, quæ aliquando quidem indicant febrem liquido quieturam, aliquando vero vapores acriores à febris vehementia profundi, qui partes illas crebris vlceribus agitant. nõnunquam etiam reliquam materiæ partem, quæ morbum attulit, ad eas particulas symptomatice expulsam, à natura morbum superante indicát. quæ res periculum omne abesse demonstrat. Quid iactatio? nonne perspicue intelligitur neutram notam esse? namque eo potissimum tempore ægrotus vno in loco consistere non potest, aut cum in venis materia turget, vel extra venas, nullo seruato ordine mouetur, ventriculum petit: aut cum facultas adeo imbecilla est, vt musculorum, ossiumque onus portare amplius non posse videatur.

Quid lumborum, capitisque dolor? non ne aliquando in vena caua, aut in maioribus lumborum arteriis vehementius materia febrem excitans incenditur, ac inflammatur? & vapor acrior ab ea ad caput profunditur, ægroti huiuſcemodi doloribus conflictantur? nonnunquam vero cum eadem materia acris, & mordax aut per inteſtina inclinata à natura excernitur, aut ad ſuperiores partes transmiſſa naribus perrumpere nititur, nonne idem doloris genus nos excruciare ſolet? Spirandi autem difficultas aliquando quidem vbi bilis praſina, aut æruginoſa, quæ circa cor maxime exardeſcit, aut vbi humorum copia in præcordiis, aut viſceribus firmata vi caloris impulſa ventriculum, aut diaphragma premit, nos protinus male habere ſolet. nonnunquam vero in ſanguinis è naribus profuſione, & abſceſſus poſt aures eruptione, cum natura victrix morbi cauſſam pulcherrime extrudere conatur, ea difficultate ſpirandi maxime vexamur. Ægroti aliquādo mente turbantur, cum morbus omnes ſuas copias ad nobiliſſimas animæ noſtræ partes, quæ in capite, veluti in altiſſima totius corporis arce à natura poſita eſt, perniciem ſe conuertit. nonnunquam vero mens ipſa læditur, cum eædem copiæ ſuo quaſi regno, ac ſedibus pulſæ, ac fugatæ aut vomitu, aut naribus, aut abſceſſu poſt aures à dominante natura pulcherrime eiiciuntur, ac extruduntur. Lacrimas etiam cadere aliquando inuito ſolere in morbis pernicioſis nouum non eſt. nonnunquam vero quamuis dolenter, ac coacte collacrimentur ægroti, ſanguinis è naribus profluuium victricem naturam excitaturam præſagimus. vnde præclara illa apud Hippocratem: *Si qui febribus aut alijs quibusdam morbis occupati prudentes lacrimas effundunt, abſurdum minime eſt: at qui ſine voluntate easdem profundunt, multo abſurdius.* Rigor item, qui ſæpiſſime iudicare ſolet febres ardentes, ſi primo quoque tempore ægrotum corripiet, pernicioſus eſt; ea enim

enim, quæ iudicia afferre solent, statim elucere minime debent. Vertigines quoque aliquando concitantur, dum calor humores tum dissoluere, tum effundere conatur; namque naturam minime quiescere significat, imo vero humores prauos aggredi, atque à bonis illos seiungere, & aliquo pacto extrudere, & ad partem minime primariam propellere indicat. interdum vertigo oritur ob humorum incendium, & exhalationem, qui in ventriculo continentur. eadem sane ratio est doloris colli, temporum grauitatis, ciborum fastidii, eorum, quæ cogitatione fingunt ægroti, quas imagines vocant, visorum, morbi regii, singultus, & si qua alia sunt, quæ neutra commode dici possunt indicia. quæ si statim in principio morbi, hoc est ante materiæ matutitatem oriantur, quod quidem ad iudicium pertinet, neque bonum id, neque malum enunciat. namque fieri potest, vt morbus longiori temporis spacio paullatim maturatus ad absolutum iudicium perueniat: verum sine maturitatis notis præterquam quod signa sunt pessimarũ affectionum, infirmitatem quoque naturæ indicant, & morbi cruditatem. illud maximo argumento est, quod cum eadem absunt, aut seremiserunt, cum ante adfuissent, aut increuissent, maturitatem morbi pulcherrime indicant; cum vero adsunt, aut vehementius ægrotum affligunt, materiam minime à natura subactam, ac maturatam demõstrant; nam cum ea maturitati nullo vsui sint, tum vtique in eo, quod nullum vsum maturitati præstant, cum absunt, omne bonum vertitur. Sæpissime vero per id quod minime adest, id quod maxime adest, confirmare solemus. quatenus igitur consequuntur, cruditatis aperta signa fiunt. ex iis enim signis, quæ cum in sanitate, tum in morbis recte cognita, ac percepta sunt, cum accedunt, vel recedunt, sanitatem vel ægritudinem significamus: ægritudo autem naturam egregie validam, ac robustam esse ostendit; cui si virtus ad hu-

mores vel concoquendos, vel extrudendos ſuppetat, ægrotus ad ſanitatem protinus perducetur. neque vero nos conturbare oportet Galenum aliquando ſcriptum reliquiſſe non eaſdem iudicii & maturitatis notas eſſe; quod illius ſigna neque bonum, neque malum iudicium exercere poſſent; at huius indicia primas ſemper ad ſalutem habere ſoleant; nam tametſi eadem ſigna vtrumq; indicare dixerimus, non tamen eadem ratione idem oſtendere affirmamus. cum enim in morborum principiis illa ſigna naſcuntur, non iudicii, ſed cruditatis ſigna appellari debent; nam iudicii ſigna non in principiis, nō in incrementis, ſed in ſtatu debent apparere. quare alia, atque alia ratione hoc, atque illud oſtendere dilucide patet. quid autem, obſecro eſt, quod cum ea ſumma denunciatione periculi in morborum principiis ante maturitatem nata eſſe audimus, nos vehementius terreant? quid eſt, quod illico morbum pernicioſum eſſe dicimus? quid quod iudicium illa haud afferre pronunciamus? cum iubet „ Hippocrates *non formidanda mala, quæ præter rationem* „ *accedunt*: quæro à vobis, quando huiuſcemodi ſignis orientib. nos minime bono animo eſſe imperet Hippocrates, ante maturitatis ne notas, an potius poſteaquam illæ ſubſecutæ ſint? ſi vtroque tempore grauiora timenda eſſe reſpondebunt, imperito intelligens Medicus minime præſtabit: ſi enim timenda ſunt, quæ timere neque Hippocrates, neq; ratio ipſa iubet;

—veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt, Sic nos timeamus
Interdum nihilo, quæ ſunt metuenda magis, quam
Quæ pueri in tenebris pauitant, finguntque futura.

Libros oēs abiiciamus, antiquorū monumēta omnia corrumpamus. quid amplius laboramus? quoties ego, ſed quid ego? quoties Galenus ipſe magni nominis medicos inſueta quędam ridicule expauiſſe vidit, quos ne contremiſcerent, admonuit? ſin aut perfecta, aut incœpta

cœpta maturitate, cum talia indicia consequantur, tunc sibi maxime timendum esse dicent, notarum maturitatis fidem omnem turpiter labefactabunt, quas nunquam non opportunas, nunquam non bonas, & salutares esse testatur idem Hippocrates. illud præterea adiunxit, easdem celeriter ægrotum iudicium subiturum denunciare. reliquum est igitur, vt cum maturitatis notæ non adsint, tum magnum metum nobis iniicere illa oporteat. at quem in metum adducent? aut mortem quidem, aut certe difficile iudicium minabuntur, scilicet, vel hostis capitalis erit, vel adeo acer & immanis, vt aut naturæ repente succumbendum sit, aut non nisi longo spacio eum vincere ac superare possit. Si ergo longum spatium intercedet, necesse est rebellem, & crudam materiam esse, quæ morbum excitauit.

Cap. IIX; *Peroratio.*

ID igitur, quod maxime à principio voluimus, assecuti videmur, vt hæc indicia, quæ iudicia tantummodo ostendere videbantur, cruditatem, si in principiis morborum subsequantur, significent, atque eadē sint, quæ Galenus in libello, qui Ars medica inscribitur, neutra esse voluit. posthæc vero cetera prosequemur. sed prius quæcunque hactenus à nobis longissimis verbis demonstrata sunt, breuiter colligere haud erit fortasse iniucundum. quod si itinera longa maturantibus vbi præcipites quasque angustas, inexplicabilesque vias absoluerunt; atque apertas, tutas, directasque, inierunt, frequenter respicere solent angusta quæque & lubrica viarum, in quibus superandis magna subiisse pericula meminerunt, quod summos labores, quos in illis euadendis exceperunt, illo oculorum prospectu veluti compensati mitigari paullulum videantur: quid nos tandem efficere par est, qui impeditiora, longioraque multo itinera ingressi su-

mus, poſtquam difficillima quæque perſecuti ſumus nonne veluti de via feſſis, in iis, quæ paullo ante tradita à nobis ſunt, repetendis aliquantiſper immorari licebit?

Sæpe cibis affert ſerus faſtidia finis;
Gratior eſt modicis hauſtibus vnda ſiti.

cum igitur hoc in libro de notis maturitatis agendum nobis eſſet, ab iis, quæ maturari debent, demonſtrandis principium ducere voluimus; deinde materię loca, ac veluti ſedes qua ratione inueſtigandæ eſſent, oſtendimus, vt quæ ex via, & quibus quaſi canalibus proruptera eſſent eorum excreta, ex quibus certiſſima ſigna ſumi dicebamus, cōmodius cognoſceremus. Sed hæc vetera, illa noua hiſce quidem temporibus: at è veterum tamen probatiſſimorumque auctorum rei medicæ theſauris diligentiſſime eruta, quæ poſtremo loco attulimus. quæ primo argumentis ex rei natura ductis, deinde auctoritate Hippocratis vera eſſe maturitatis indicia comprobauimus, cui Galeni quoque teſtimonia adiunximus; qui cum in tres partes omnes maturitatis notas diſtribuiſſet, nonnulla ad neutra appellata indicia, qua potuimus diligentia accommodare conati ſumus.

CAP. IX; *De ceteris neutris ſignis, de ſomno & vigilia.*

SOMNVS autem, & vigilia (de his enim, & aliis quibusdam reliquum eſt diſſerere) inter neutra etiam ſigna connumerantur, quod in quibusdam morbis cruditatis, in quibusdam vero maturitatis notę eſſe dicantur. in ſomno ſi calor imbecillior non eſt, cibum concoquit natura, membra nutriuntur; quod ſi idem infractus ſit, cibus minime deducitur, nullo ordine materia mouetur. fertur aliquando ad cerebrum, in quo delirium concitat, nonnunquam ad cor, atq; anima continuo deficit; ſæpe ad alia irrumpit membra, & alios

alios atque alios dolores affert. ęgroti autem laborant, « iactantur, animo ipsis male est. Hippocrates: *Summa* « *vigilia potus, cibosque crudos & minime coctos reddit. So-* « *mnus vero humorum maturitatem perficit.* Somnus « maturatæ phrenitidis, quemadmodum veterni, & & morborum, in quibus somnus vrget, maturatorum vigilię indicia sunt. vnde illa in Sentẽtiis diuinitus pronuntiata sunt: *Vbi somnus delirium tollit, bonum.* atque « haud inepte mihi ille (quisquis fuerit) quæ sisse videtur: Sopor an vbique malus? etenim soporem phrenitidi aliquando consequutum vidi, qui morbum pulcherrime depulerat. & Sophocles in Eriphyle,

Abi ad soporem, huiusce mali qui est Medicus.

nulla autem alia habemus indicia, ex quibus horum morborum maturitatem possimus colligere. vrinas, deiectiones? minime. namque vrinæ illæ, quæ albæ & pellucidæ sunt, maxime in phreniticis malæ sunt; quoniam indicium est vniuersam bilem ad caput repere. vrinæ vero crassiores nunquam non ab exitio ægrotos vindicarunt. Phrenitis vero à bilioso sanguine excitatur, qui flauam vrinam edere solet; non quod cruditatem materiæ indicent, quæ caput occupauit. alba quoque alui illuuies morbi huius cruditatem demonstrat ex euentu; quoniam vna cum sanguine bilem sursum ferri ostendit, atque eo magis, quo maior igneæ caliditatis copia in cerebro coaceruata fuerit. quæ excernũtur per palatũ, nares, aures? multo minus. neque enim vnquam vidi, aut apud aliquem obseruatum legi, vlla alia ratione aut lethargi, aut phrenitidis maturitatem vnquam indicatam esse. ergo primo, & per se somnus illius; vigiliæ vero huius indicia erunt maturitatis; vrina enim in qua multa subsident, ex euentu, & secundo morbum abstergit, qualis Dexippi post caluitium descendit. etenim non semper hæc cõsequuntur morbum, at cum superueniunt, bona sunt. quomodo.n. se habeant humores, qui in arteriis, & ve-

nis continentur, indicant vrinæ, nihil præterea. verum inter hæc & illa indicia, hoc maxime intereſt, quod hæc morbis omnibus ſemper inhærent; illa vero quandoque quidem morbos conſequuntur, quandoque ne apparent quidem. poſſem nullo negocio quamplurima morborum genera commemorare, in quibus neque deliria, neque dolores, neque iactationes, neque ſpirandi difficultates vnquam conſequutæ ſunt. at ægrotus omnis aut vigilet, aut ſomnum capiat, neceſſe eſt. Somnus autem maturitatis indicium eſt, ſi continens ſit, ſi tumultuoſior non ſit, aut laborem non addat, aut modum retineat, quemadmodum vigilia cruditatis, vnde illa emanarunt pulcherrima primum
» apud Hippocratem: *Summæ vigiliæ potus & cibos cru-*
» *dos, & minus concoctos reddunt.* deinde apud auctorem
» *Coacarum prænotionum. Somni profundi minime tu-*
» *multuoſi firmum indicium ſignificant. tumultuoſi vero*
» *cum dolore capitis incõſtantes ſunt. & in Sententiis: In quo*
» *morbo ſomnus dolorem affert, peſtiferum; ſi vero proſit,*
» *minime peſtiferum.* & paullo poſt: *Somnus & vigilia ſi*
» *modum non habebunt, malum, &, quod ad ſomnos attinet,*
» *quemadmodum ſecundum naturam ſolemus noctu dor-*
» *mire, interdiu vigilare oportet. quod ſi alio tempore ſomnus*
» *acceſſerit, peius eſt. minime vero ægrotus lædi poterit, ſi ma-*
» *tutino tempore ſomnum capiat vsque ad 5. horam. qui ve-*
» *ro poſt illud tempus ſubſequuntur ſomni, deteriores erunt:*
» *peſſimum illud omnino eſt neque noctu neque interdiu ſo-*
» *mnum oculis videre ſuis; aut enim id cum aſſiduo dolore*
» *eſt, aut hoc ſigno delirium pateſit.* Cæcilius & hoc mire vidit:

Conſequitur comes inſomnia: ea porro inſaniam affert. nemo neſcit pueris ſomnos in multis morbis, iiſque valde periculoſis auxilio fuiſſe. præterea in iiſdem & in ætate prouectioribus nonne breuiori temporis interuallo morbi per ſomnum iudicantur? quod in hiſce ocius diſcutiantur, & maturentur morborum cauſſæ quam

quam ætate prouectioribus. at ſenes ſi ſomno vrgeantur, peſſimū ſæpe indicium eſſe notauimus. illud idem ſenex, & diligens omnium noſtrorum bonorum auctor, & magiſter Hippocrates obſeruauit, & litteris mandauit. *Ad ſummum* 14. inquit, *diebus iudicia exercebantur. hoc autem modo iudicia pueri quamplurimi ſubiere; ſed pueri tantum? imo vero etiam, qui ætate maturiori erant. quibuſdam vero morbi iudicabantur die* 11. *repetebant* 14. *indicabantur abſolute* 20.

CAP. X; *De febri, ſiti, dolore, ira, mœrore, deſperatione vitæ; & quæ præter rationem accidunt, nos pertimeſcere minime debere.*

FEBRIS cruditatem ſemper humoris indicat. ſunt autem humores, qui febrem excitant, huiuſcemodi aliquando, vt vere concoqui poſſint, aliquando vero matureſcere tantummodo queant, & non niſi febre diſcuſſa, aut certe inclinata maturitatem aſſequi poſſe certum eſt; febris enim naturæ imbecillitatem ſemper ſignificat, & materiæ prauę copiã, quæ obſtructionem excitat. hæc vero prohibet tranſpirationem; prohibita tranſpiratio putredinem gignit, putredo febrem accendit. quod ſi robuſta, & valens natura eſſet, illa materiæ copia veluti nutrimento vteretur. quod cum præſtare minime poſſet, id ſaltem efficere conaretur, vt nulla accedente febre eadem in pus verteretur, ac deinceps pelleretur. Sed quoniam ea eſt materiæ crudæ copia, vt neque diſſipari, neque detrahi facile poſſit, crudelem vim ſuam, flagitioſamque dominationem indicet, neceſſe eſt. quod ſi in exterioribus partibus contuſis, in quibus ſubcruentus locus eſt, aliquando euenire videmus, vt pus nulla febre vrgente pulcherrime ſequatur, tametſi calor in illis particulis mediocris ſubeſſe ſoleat; quid tandem in interioribus partibus, in quibus idem calor abundat, qui nunquam

nisi aut in morbis fatigatis, aut in iis, quos mors interemit, pigressit, euenire censendum est? sitis ægrotos affligere solet, cum febris vehemẽs eos exercet, quam proprie consequi; desinere vero cum febri, id est, cum materia matura est, solet. nihil est quod magis concoctionem, & maturitatem omnẽ labefactet, quam dolor; is enim sua sponte naturam debilitat atq; frangit. ex quo & morborum tempora facile cognoscimus; namque vel ex Hippocratis sententia magisne an minus doloribus conflictentur ægroti perpendendum diligentissime. atque hac in re numquam fere offendimus. neminem sane esse arbitror, qui hoc non facile norit, attamen idem perbelle cognosci potest in puris generatione, quam dolorem plane impedire experimento quotidie animaduertimus. quapropter in huiuscemodi casu omne Medici consilium ad dolorem remediis protinus soluendum recte, & ex arte nunquam non dirigitur. Hunc consequitur fœtor, qui naturam plane frangit. neque vero lingua, quæ societate, ac necessitudine quadam naturæ nobis iuncta sunt, tantummodo nouit; namque nerui à cerebro, & spinali medulla ad omnes quoque partes descendunt, ad easque committuntur, qui facultatem afferunt cognoscendi vnicuique sibi conuenientia, & accommodata. male vero olentia cuncta praua, & maligna sunt. Ira, mœror, vitæ desperatio, & ceteræ denique animi perturbationes cruditatis & tanquam caussæ, & tanquam signa sunt, vt nemo nescit. quod cum in ceteris ægritudinum generibus animaduertimus, tum vero in iis, qui Hypochondriaco morbo, & delirio, quod phrenesim Græci vocant, occupati sunt apertius multo notamus, qui sæpe ira incenduntur, nonnunquam mœrent, raro canunt, aliquando sanos se fingunt, summamque sanitatis spem nobis præbent; paullo post tamen fraus patet magno sæpe cum malo & medicorum & eorum, qui illos adseruant. quis nostrum

ſtrum eſt tam iners qui cum perpendit ægrotum animum deſpondiſſe, triſtes illius cogitationes protinus diſcutere, atque eum ad meliorum ſpem reuocare illico non conetur? & futuræ mortis ſignum aliquod adeſſe non ſtatim exclamet? ex horum ignoratione ridicula medicorum quorumdam emanat hæſitatio, qui magna cum cura ægrotos curant.

Quin ſuſpirabo (inquit ille) *plus ſexcenties in die,*
Ita ego illum cura magna curabo tibi.

ægroti difficulter ferunt morbum: ventrem, ac latera calidiora habent; frons, pedes, manusque frigent; ſpirant crebro, ac vehementer, mens eorum lapſa eſt, vigilant. tum vero cum nulla ſpe propoſita metus tantummodo ſuperat, operæpretium eſt animaduertere nonnullorum in curatione audaciam. vident ægrotos huiuſcemodi malis perdite conflictari, quid agant, neſciunt, talia euentura ne vnquam quidem ſuſpicati ſunt. Ibo (inquiunt) intro ad libros, & diſcam de dictis melioribus. cum vero verſa vident omnia, & quæ ad perniciem procedere videbantur, & quem ſpes omnes reliquiſſe putabant, huic cuncta ad ſalutem ſpectare perſpiciunt, & fruſtra huc illuc ſe excurriſſe ſentiunt, eorum impudentia ſummopere ſpectanda eſt; à veteri illorum calliditate non recedunt, ea ſe fefelliſſe minime cõfitentur. qua in re non audacia ſolum, ſed ſingularis quoq; imperitia magnopere admiranda eſt. quare hoc nunc ſaltem addiſcant, nulla ſigna quamuis pernicioſa videantur, extimeſcenda, vel ſi poſt maturitatis materiæ vel ſi robuſtiori, valentiorique natura conſequantur. quæ vero ante materiæ maturitatem, & oppreſſis viribus naturæ oriuntur notæ, illæ vere pernicioſæ ſunt exiſtimandæ, quod idcirco in Præſagitionibus non tradit Hippocrates; quod cum quæ præter rationem acciderent, ne pertimeſceremus, animaduertiſſet, luculente id ſe præcepiſſe putauit; mos conſuetudoque veterum (quod tu haud neſcis) eſt omnia

breuiter complecti. verum hæc relinquamus, &, quæ restant, potius persequamur.

CAP. XI; *De signorum prædictorum differentiis; quædam enim sunt τεκμήρια, quædam σημεῖα; & de comate quædam.*

HORVM signorum alterum altero dignitate maxime antecedere solet; quæ enim proprie morbis superuenire diximus, illa aliquanto maius pondus afferunt, quam quæ non propria dicuntur; etenim vrinæ deiectiones, sputa, spirandi difficultas maioris momenti sunt vel ad salutem, vel ad mortem denunciandam, quam deliria, conflictationes, vigiliæ, somni, & si qua alia sunt eiusdem generis, tametsi in vno, atque eodem morbo reperiantur; namque vna aliquando vrinæ mutatio ad meliorem colorem ad salutem primas habet, vt in Herephonte notatum reliquit Galenus, & in Andreæ ante Pleiadum ortum nos ipsi obseruauimus. & stercus coactum, quod Nicoxenus 17. excreuit, nonne cuncta perniciosa signa ad salutem conuertit? quare hæc τεκμήρια à Græcis, à nostris certa, & minime dubia indicia appellantur, quod hæc nunquam ementiantur, & vno, eodemque modo semper accipere soliti simus. etenim cum signa eueniunt vrinæ scilicet, sudoris, deiectionum, & sputorum, ita contingat, necesse est, vt de illis prædictum est ab Hippocrate. Si enim perniciosiores sunt vrinæ fœtidæ, nunquam nisi perniciose de ægroto præsentite poterimus. in morbis malignis, & pestiferis ne hæc quidem signa tibi omnino fida præstare possum. vrinas in illis morbis (vt cetera omittam) optimas sæpe descẽdisse animaduerti. cautionis est nullius in fide omnia statuere. ad alia quoque recurrendum, quæ sæpe eorum malitiam perspicuis declarant signis, & nobis ea plane patefaciunt, & denique animos nostros ab inani quadam spe ad metum protinus reuocant. illa vero dubia sunt, & simpli-

ſimpliciter σημεῖα à Græcis nominantur, quod Medicos ſæpius fruſtrentur, fallant, ac deludant. præterea vigilia,& ſomnus certiores multo maturitatis,& cruditatis ſunt notæ, quam iactationes, deliria, & alia huiuscemodi. Coma vero nunquam non inter cruditatis indicia aggregatur. de qua ſic Lucilius Satyra 10.

Languor, & oppreſſit pigror, torporque quietis.

quæ vero ad ſalutem eſſe dicuntur ſigna, his contraria ſunt. de quibus ſic Hippocrates: *In eo morbo, in quo ægrotus ad ſanitatem breuiſſimo temporis ſpatio perducitur, omnia maxima ſigna conſpiciuntur: minus enim dolore affligitur, periculo vacat, noctu ſomnum capit, & alia certiſſima ad ſalutem indicia accedunt.* & alibi; *Iis in iudiciis, quæ ſaluti ſunt, plerumque eadem ſigna ſubſequi ſolent, quæ ſanitatem moliuntur.*

CAP. XII; *De reſpirationis difficultate, & pulſibus cur non agat; & excretorum quædam ſalutaria, quædam pernicioſa, quædam media.*

SATIS iam (vt arbitror) demonſtratis cruditatis,& maturitatis notis, illud à me hoc tempore maxime expectari intelligo, vt ſingillatim de vnoquoque excretorum genere verba faciam: de hiſce enim antea ſcribere paullulum de induſtria ſuperſedi. quæ quoniam aut maturitatem humorum, qui in toto corpore abundant, aut eorum, quæ in parte morbo affecta reperiuntur, oſtendunt; præterea quædam omnib. morbis communia ſunt, quædam vero ſingulis propria; illud ratio ipſa potiſſimum poſtulare videtur, vt ab iis indiciis, quæ materiem in toto corpore ſuperare oſtendit, à communibus ſcilicet progredientes ad ſingularia, id eſt, vniuscuiusque morbi propria ſigna perueniamus. huc accedit haud vulgaris noſtrorum omnium bonorum inuentoris, ac prope parentis Hippocratis auctoritas, cui in libro Præſagiorum, poſt

haud ſatis longam de reſpiratione diſputationem, nihil fuit antiquius quam de ſudoribus pertractare; quod excreta eſſent eorum humorũ, qui in toto corpore continerentur, totam de difficultate reſpirationis tractationem omittere in animo habemus, cum de ea à Galeno tribus libris diuinitus pertractatum eſſe ſententiam, ad quorum librorũ imitationem nosquoque totam hanc de maturitate materiæ in morbis disputationẽ in tres partes diuidere voluimus; neq; enim aut dilucidius, aut ſubtilius de reſpirationis difficultate agi poſſe arbitror, quam actum ſit ab eo in illis libris. in quibus illud quoque egregie præſtitiſſe obſeruamus, quod ad diuerſorum, ac inter ſe maxime pugnantium ingeniorum captum belliſſime ſe accõmodarit. nam ſi quis erit, qui breuiter de ea re agi velit, is primum eius tractationis librum legere poterit; in quo pręterquam quod dilucide, & commode omnia ſunt explicata, ſuauiſſimas pręterea, breuiſſimasq; quasdam habet perorationes, in quibus quaſi in pulcherrimis quibusdam diuerſoriis opportune requieſcimus. at nõnulli inueniuntur, quos vnicuiusq; rei crebra repetitio delectat, ij reliquos quoq; duos libros habent, in quibus non ſemel, aut bis, ſed ſæpius etiam eadem nõ inſulſe inculcata inuenient. eſt alia quoq; ratio, qua, ne id faciam adducor; etenim adeo copioſa, & longa de reſpiratione diſputatio eſſet, vt ſi de ea ſubtiliter, & diligenter disquirere vellẽ, multa omnino volumina eſſent perſcribẽda. principio multa de vſu naturalis reſpirationis eſſent mihi dicenda, plura de illius cauſſis, de difficultate vero, quę maxime ad hanc tractationem, & ad pręſagitionem ſummopere pertinet, lõgiſſima protinus foret disquiſitio. quapropter totam hãc tractationem reiecimus, atq; ad ea, quæ reſtant, properabimus. quæ cum obſcuriora ſint, luce explanationis aliqua indigere videntur. quare longe mihi etiam in eis explicandis maiorem rationem adhibendam eſſe duco: non tamen illud

Illud prætercam memorabile de respiratione Hippocratis, quod breuiter, vt semper solet, nos hortatur ad illarum rerum scientiam capessendam. itaque inquit: *Venarum motus, & respiratio habita ætatis ratione & consona, & dissona sunt, & morbi & sanitatis indicia; & sanitatis magis quam morbi, & morbi magis quam sanitatis.* Excreta autem, quoniam non vnius generis sunt, diligenter distinguamus, vt ad rerum futurarum prædictiones, ac præsensiones via hac, quæ hactenus obscura, & lubrica semper habita est, illustris, ac quam minime præceps meo labore reperiatur. excretorum igitur quædam naturam materiem vincere, ac superare, quædam vero naturæ illam dominari, quædam neutrum superiorem discedere ostendunt. quæ naturam superare demõstrabunt, salubria excreta dicentur; quę morbũ vincere indicabunt, insalubria appellabuntur; quę vero par discrimen significabunt, neutra: quemadmodum enim superiorum indiciorum quędam bona, quædam mala, quædam vero neutra appellari dicebamus, quod quædam maturitatẽ, quædam cruditatem, quædam vero neutrum significabant, ita & horũ quædam salutaria, quædam perniciosa, quædam media esse dicentur. idem autem significat signum bonum, quod salubre, idem malum quod insalubre; idem præterea maturitatẽ significare, quod salubre esse; & idem cruditatem indicare quod insalubre esse dicimus. hæc vero adscripsisse volui, ne quis parum rem ipsam animaduertens, verbaq; tantummodo perpendens aliquid in hac tractatione desiderari arbitretur, quã quammaxime perfectã esse volumus. excreta igitur, quæ cruditatem significant, quædam simpliciter cruda dicuntur, quędam etiam pestifera, & lethalia. neutrorum autem, quæ & media excreta vocamus, quædam iis accedunt, quæ optime maturitatem demonstrant; quædam vero proximiora cruditatem indicãtibus esse dicuntur; quæ qualia vnaquæque sint, statim demonstrabimus.

Cap. XIII; *De Sudoribus.*

SVDORES igitur conſiderantur natura, quantitate, qualitate, inæqualitate, loco, die, & denique, ægroti tolerantia. natura ſudoris in craſſitie ; & tenuitate, quantitas in magnitudine, aut paucitate eiusdem conſiſtit. in qualitate ſpectantur colores, ſapores, odores; colores ex linteo, quo ægrotus detergitur, facile cognoſcuntur, quod vel album, vel pallidum, vel rubeum conſpici ſedet. Sudoris guſtus ab ægroto ipſo nonnunquam ſentitur; ſolet enim non raro eius gutta in illius os deſtillare; idem aliquando nihil olere, aliquando male, nõnunquam ſuauem odorem excitare ſolet. præterea vera aut frigidus, aut calidus eſſe dicitur. inæqualis ſudor eſt, cùm modo diffunditur, modo coercetur, & cum ex duobus humoribus elicitur, qui alii atque alii ſint, vt pituita, & bilis. hæc enim calidiores, illa vero frigidiores ſudores mouet. Si locus conſideratur, aut ex toto corpore, aut ex eius aliqua parte ſudor elicietur. dies autem aut iudicium afferet, aut indicabit; atque illud aut integre morbum ſoluet, aut non. vnde euenit vt ægrotus aut facile, aut difficulter morbum ferat. principio veniant in medium ſudores, qui optimi ab omnibus cenſentur, qui maxime effundi ſolent in diebus qui iudicia exercent, & integre febrem finiunt. deinde ponendi ſunt boni ſimpliciter appellati, qui oriuntur ex toto corpore, & cauſſa ſunt, vt ægrotus facilius multo morbum ferat. poſt hos collocandi ſunt ſudores, qui nihil horum præſtant, qui prorſus inutiles dicti ſunt. quartum locum occupat frigidus, qui ex toto corpore diffunditur, qui peſſimus eſt. quintũ, calidus per collum & caput tantum excidit, qui peſſimus aliquando eſt, nonnunquam inutilis, haud raro febrem finit; quod & à vetuſtiſſimo auctore pulcherrime notatum eſt: *Quos magnæ aliquando febres*, inquit, *dimittunt; iis ſudor non per totum corpus, ſed aut circa ceruicem, aut ſub alis, aut per caput ſubſequi ſolet*. Sextum,

tum, frigidus ex ceruice, & capite ſumme malus. primus & ſecundus ſudorum gradus maturitatem morbi ſignificant, & ſalubri dicuntur. verum qui calidus emanat ſiue ex toto corpore effundatur, ſiue ex aliqua eius particula ſubſequatur, & minime pręſtet, vt ęgrotus facilius morbum ferat, neutrum, vel medium dicitur, & maturitatem imbecillam, & obſcuram demonſtrat. at frigidus ex toto corpore, vel ex eius particula ſummam cruditatem ſignificat. vidi nonnullos ſudare bene olentibus ſudoribus quos morbus miſere iugulauit. acidi, vel acres ſudores ſemper morbi diuturnitatem demonſtrant, vt ſæpe notauimus. Optimos vero ſudores aliquando nihil, aliquando etiam male olere obſeruaui. quapropter ſic iudico, ſudorum odores haud valde maturitatem, & cruditatem humorum indicare, niſi cum aliis bonis, aut malis indiciis coniungantur. etenim ſudores huiuſcemodi ſi cum bonis ſignis bene olentes prorumpant, maturitatem ſignificabunt; ſin cum pernicioſis, cruditatē. ex ſapore vero & colore non humorum maturitas intelligitur, ſed illorum potius, qui intus coierunt, & continentur, genus cognoſcitur; etenim ſi eius color rubeus eſt, bilem abundare, & morbum excitare indicat. ſin albior pituitam ſuperare ſignificabit. quod ſi dulcis quoque erit, primam pituitę ſpeciem aperte admodū demonſtrabit. ſudor autē ſubſequi debet non inter principia, neq; in incremento febris, ſed aut in ſtatu, aut in declinatione. de ſudoribus autem ſic diſſerit Hippoc. *Sudores optimi ſunt in omnibus acutis morbis, qui in diebus qui indicia exercere ſolent, ſubſequuntur, & febrem omnem diſcutiunt. boni vero ſunt, qui per totum corpus mouentur, & cauſſa ſunt vt ægroti meliores euadant. qui vero hoc minime præſtant, incommodi ſunt: peſſimi autem ſunt frigidi, & qui tantum inter caput, & faciem, & collum diffunduntur; hi enim cum acuta febre mortem, cum leniori vero morbi diuturnitatem denuntiant.*

Cap. XIV; *De Vrinis.*

Optima vero vrina, & quæ matura eſt, conſiſtentia mediocris eſt, calore ſubruffa, & flaua, in qua ſubſidet album quoddam leue, & æquale. eiusdem conſiſtentia aut tenuis, aut craſſa, aut mediocris exiſtit. mediocris, optimam maturitatem ſignificat; quæ vero aut tenuior, aut craſſior eſt, imperfectam, aut inchoatam maturitatem indicat. tenuis duplex eſt; altera, quæ tenuis, & pura deſcendit, ac deinceps talis permanet; altera vero tenuis primo fertur, deinceps conturbatur: vtraque autem cruda eſt, & ad maturitatem minime perducta. in hoc autem altera ab altera diſtat, quod tenuis nullam adhuc maturitatem molitam naturam oſtendit; altera vero primam, & inchoatam ſignificat. perturbatarum vrinarũ duplices ſunt ſpecies; quædam enim craſſę excernuntur, & paullo poſt in ipſis aliquid deſcendit; aliquæ vero feruntur perturbatæ, & tales permanent. harum prima bona eſt, & morbum paullo poſt maturari debere oſtendit. Secunda vero adhuc in ſanguine æſtum permanere demonſtrat. quod vero ad colores pertinet, aquea extreme cruda eſt. ſubruffa & flaua, maturitatem habet, præſertim ſi mediocris erit. ſin tenuis, cruda. horum in medio ſita eſt ſubalbida. ruffa & tenuis; cruda eſt. nigra vero, viridis, liuida, oleagina & fœtida, non modo cruda, verumetiam peſtifera ſunt. pallida quidem ad maturitatem prope accedit; lactea, glauca ad cruditatem. ſubrubra vrina maturitatem aliquam capere demonſtrat; rubra vero, pauca, perrubra, quam & ſanguineam Galenus appellauit, iecur imbecillum ſignificat. quod ad ſubſidentias pertinet, albę leues, & ęquales optimæ ſunt. Secũdo loco ſublimamenta appellata, tertio nebulæ, quas ſi in febribus à bile concitatis animaduertimus, abſolutam maturitatem aſſecutam materiam oſtendent. media autem eſt, quæ habet ſublimamentũ album, & lene, diuulſum tamen, & minime continuum. Suſpenſiones

ſiones nebuloſæ mediæ quoque ſunt; neque enim malum indicium afferunt, quæ omnino atræ non ſunt; neque bonum, quæ non omnino albæ. ergo iudicium exercetur illis deſcendentibus vrinis, bonum quidem, at minime abſolutum: modo vero in vrina aliquid ſubſidere, modo nihil, morbi diuturnitatem teſtatur, & interitus periculum oſtendit. Subrubrum ſedimentum morbum ad ſalutem ſpectare, ſed diuturniorem futurum demonſtrat. nigrum peſſimũ eſt, & mortem adfert. In diabete ex cauſſa calidiori tres notantur cruditatis & malignitatis gradus. primus eſt cum deſcendit vrina ſanguinea, quaſi in ea caro nuper mactata lota ſit, cum rubore ſubalbido. in ſecundum gradum veniunt, quæ ſanguine magis prædita ſunt, & magis rubent & copioſius multo profluunt. in tertium aſcendunt, cum purus ſanguis defluit. de vrinarum vero ratione tota multis in locis diſſeruit Hippocrates; nos ea, quæ in Præſagiis ſcripta reliquit, tantummodo exſcribemus. etenim his probe cognitis, reliqua nullo negocio conſequemur. *Optima autem illa eſt vrina, in qua ſubſidet album, leue & æquale, donec iudicio ægrotus liberetur. huiuſcemodi enim vrina ſecuritatem præſtat, & morbum breui finem habiturum demonſtrat; quod ſi id perpetuo minime retinuerit, & aliquando quidem pura feratur, nonnunquam vero ſubſideat album, & leue, diuturnior erit morbus, ac periculum circumſtabit. Si vero fuerit vrina ſubrubra, atque eius ſubſidentia haud abſimilis, & lenis diuturniorem quidem quam priorem morbum ſignificabit, verum ad ſanitatem reſtituendam aptiſſima eſt. at ſubſidentiæ in vrinis quas craſſiores polentæ partes reddunt, prauæ ſunt. his autem peiores habitæ ſunt laminoſæ; albæ etiam, & tenues valde malæ ſunt. hiſce omnibus deteriores ſunt furfuraceæ. nubeculæ, quas vrinæ repræſentant, albæ quidem bonæ ſunt, nigræ vero malæ: quoad autem fulua fuerit vrina & tenuis, morbum ad maturitatem minime perueniſſe ſignificat. quod ſi diu-*

» *tius permanebit, periculum est, ne sustinere homo possit, an-*
» *tequam spatio maturescat. perniciosiores autem sunt vrinæ*
» *fœtidæ, aquosæ, nigræ & crassæ. at vero tũ in viris, tum in*
» *mulieribus vrinæ nigræ pessimæ, in pueris vero aquosæ. qui-*
» *cumque vrinas tenues, & minime maturas diutius red-*
» *dunt, si cetera bona, & salutaria sint, iis abscessus infra se-*
» *ptum transuersum erumpet. Sed & pinguedines araneo-*
» *rum telis persimiles in vrinis supernatantes timendæ sunt;*
» *colliquationis enim indicia sunt. in vrinis, in quibus ne-*
» *bulæ conspiciuntur, innatent ne an potius submergantur,*
» *& quibusnam præditæ sint coloribus, considerare maxime*
» *oportet. Etenim si in eis aliquid subsidet, quod coloribus*
» *antea narratis præditum sit, laudandæ, atque inter bonas*
» *vrinas aggregandæ sunt. quæ vero supernatant cum di-*
» *ctis coloribus, malæ sunt, easque maxime notare, ac vitupe-*
» *rare solemus. ne autem hæc intereant, illud summopere*
» *animaduertendum, ne morbus aliquis in vesica vrgens, in*
» *qua huiuscemodi vrinæ solent protinus descendere, aliquo-*
» *ties te fallat; non enim totius corporis tunc ab ipsa iudicium*
» *habere putamus, sed certam sedis morbo affectæ haud vul-*
» *garem notam.* Pituita naturali, & crudo appellato humore abundante vrinæ descendere solent minime colore præditæ, pallidæ, modo tenues, modo crassę, multa subsidentia præditæ. lactea, & glauca, aut subpallida summam humorum cruditatem ostendit. Citrina fertur, cum aliquam humores maturitatem assequuti sint. in quibus vero salsa pituita intus includitur, vrinæ feruntur citrinæ, aut subruffæ natura spissæ. in quibus vitrea superabundat, vrina reddetur alba, glauca, pallida, substantia tenuis, ac (vt ita dicam) globosa. quos vero sanguinis copia multa onerat, vrinæ excernentur rubræ, & crassæ. quos cholera male habet, in iis vrina profluit flaua, flammea, acris, & pauca subsidentia prædita. qui in toto corpore magnam humoris melancholici copiam contraxere, iis vrina procedere solet tenuis, alba. quod si aliqua eius pars cum ipsa educetur,

cetur, craſſa erit, liuida, vireſcens, ac nigra. quos vero ichorum multitudo vexat, vrinæ crudæ, ac aquoſæ, & ſæpe vt in diabete, multæ edentur. in febribus à ſanguine excitatis, craſſæ & rubræ erunt vrinæ; eſt enim ſanguinis color rubeus, quandoq; flauus. in principio quidem feruntur crudæ, aut perobſcuram habebunt maturitatem. in febre ardente vrinæ deſcendent tenuiores multo, quam in febribus ortis ex ſanguine; neque adeo rubræ, ſed ruffæ, ſeu flauæ, ac igneæ. in exquiſita tertiam vrina ſubruffa, vel ſubflaua, & quod ad craſſitiem ſpectat, media. dum matureſcit humor vel albam nebulam, vel optimam ſubſidentiam habebit. hac vrina perſpecta, non modo veræ ſimplicisque tertianæ febris notas habebis, verumetiam quarta acceſſione febrem minime tranſituram demonſtrabit. quod ſi ruffa erit, in qua neque aliquid ſubſidebit, aut innatabit, ſeptima acceſſio in metu erit. inter omnes autem (vt iſti appellant) exquiſitas tertianas illa erit ſimpliciſſima, quę cum cætera ſigna habuerit, tum vero in vrinis primo quoque tempore aliquid ſubſidebit leue, & ęquale. in tertiana notha principio vrinæ erunt crudæ; tardius enim multo maturationis ſigna ſubſequi ſolent in hac, quam in ſimplici, aut exquiſita; procedente tamen tempore in dies melius ſubſidebunt. in quartanis vrinæ erunt tenues, & albę, & aquoſæ, nimirum propter materiæ craſſitudinem percolatæ: temporis vero ſpatio coloribus ornantur, & craſſum aliquod ſubſidebit; nonnunquam in principio varię, verum omnes crudiores. illud non ignorandum, quod in principio morbi aliquando maturitatis indicia ſubſequuntur, quæ non tempora morbi indicant, ſed optimam victus rationem ab ægroto ſeruatam demonſtrant. in ſimplici quotidiana, vrinę erunt vel albę & tenues, vel turbidæ, & rubræ. albę quidem & tenues, in principio morbi; procedente morbo, craſſæ & turbidæ euadunt; etenim non ſolum humor matureſcit,

verumetiam aliqua eius pars cum vrina destillat. Hemitritæi vrinæ modo sunt subruffæ, aut ruffæ crassitudine prẹditæ, quæ aliquando quidem rubent, aliquando vero liuent; modo omni colore amisso nunc tenuiores, nunc crassiores descendunt. in febri pestilenti vrinẹ optimæ redduntur, ẹgroti tamen pessimi sunt. In Lugdunensi pestilentia omnes fere in principio confusæ, & conturbatæ ferebantur. ab iis, qui Hydrope, hoc est aqua inter cutem fusa laborant, & in quibus materia, quæ putrescit, in vasis minime continetur, quamuis vrinæ excernantur optimæ, morbi tamen illæ maturitatem, aut cruditatem ostendere non possunt. in lethargo aliquando minime colore prædita natura crassa excluditur. in phrenitide sæpe pura, nulla subsidentia, vt in Fullone: in pleuritide vrina sæpe minus colorata, quod materia frequenter caput occupet. illa vero de vrinis. in quibus illud summopere animaduertendum, quod hæc in cunctis febrium generibus earundem caussarum notas minime afferunt. nam continuarum febrium materiam proximam bellissime demonstrant: intermittentium vero antecedentium tãtummodo caussarum notas indicant. humorum enim, qui in vasis continentur maturitatis, aut cruditatis indicia optime subiicere possunt vrinæ. at earum, quẹ vasis egressæ sunt, materierum vel concoctionem, vel cruditatem illæ omnino ostendere non possunt.

Cap. XV; *De alui deiectionibus.*

HÆc de deiectionibus: deiectionem principio optimam esse oportet mollem, coactam, deinde eodem tempore, quo secunda valetudine assueuimus, sequi; postremo conueniens esse iis, quæ assumpta fuerunt. cruda est tenuis, aspera, diuulsa, quæque nullo humore madet, & qualitatem ciborum referet.

pesti-

pestifera est liuida, pinguis, & fœtida; ruffa media est, præsertim si iuncta, & continua non sit. Spumosa æstum, & motum maximum indicat. liquidę omnes immaturæ, & malæ, quod scriptum reliquit auctor v. De morbis vulgaribus in Polemarchi vxoris historia. de alui profusione sic fere Hippocrates: *Deiectio alui optima est mollis, coacta, & quæ secuta sit eadem hora, qua secunda valetudine cõsueuit. Quod autem ad copiam pertinet, habenda ratio est eorum, quæ assumpta sunt. quæ cum ita sint, inferior venter protinus sanus erit. quod si liquida fuerit aluus, prodesse solet; si neque spiritus sequatur, neque omnibus horis profluat, & paullatim excernat. frequens enim profluuium conquiescere hominem non patitur, vnde & vigiliæ eum torqueant, necesse est. quod si sæpe, & multa aceruatim effuderit aluus; periculum est, ne deficiat ægrotus.* habita (quod dictum est) *ratione eorum, quæ sumit ægrotus, ventrem reddere oportet bis, terve interdiu, noctu autem semel: plura vero mane, quemadmodum in more positum est. cogi vero oportet deiectionem, cum morbus ad iudicium properat. esto autem tunc subflaua, & fœditate odoris non valde excedat. nihil obest sub morbi finem lumbricos rotundos descendere cum deiectione. oportet autem in omnibus morbis mollem esse ventrem, & minime tenuem; at per deiectionem excernere quoddam valde aquosum, album pallidum, viride, aut vehementer ruffum, aut spumans, hæc omnia mala sunt. Malum quoque est, cum exiguum reddit venter viscosum, & album; aut quod subpallidum, aut subuiride, aut leue est. hisce vero magis pestiferæ sunt deiectiones nigræ, aut pingues, liuidæ, aut æruginosæ, & maleolentes. Quæ varia sunt, vt diuturniorem morbum fore significent; nihilominus perniciosæ sunt. huiuscemodi sunt ramentosa, & biliosa, & cruenta, & prassina, & nigra; vel si simul exprimantur, vel si separatim fundantur. Spiritum vero sine sono ferri optimum est; melius autem multo cum sono exire, quam intus retineri. Qui sequutus est crepitus aut*

» *dolore vexari hominem, aut mente labi nisi sua sponte ita*
» *illum emiserit, significat. Ceterum si præcordiorum tumo-*
» *res, ac dolores paullo ante accesserint, & inflammatio mi-*
» *nime consequatur, cum sonus circa præcordia exoritur, li-*
» *berat; præsertim si cum stercore, vrina, ac spiritu redditus*
» *fuerit: sin minus, etiam si solus descenderit prodest. haud*
» *quoque obest, si inferioribus locis exceptus fuerit.* Atque hæc de deiectionibus dicta sint; quæ quemadmodum cetera signa, in morborum temporibus nõnunquam permutantur. Hinc Hippocrates vrinam illam, quam omnibus conditionibus ornarat, tum demum optimam esse addit, si toto morbi spatio subsequeretur. idem vero & ad deiectiones & sputa recte accommodari posse, eorum, qui vel mediocriter in hac arte versati sunt, arbitror nescire neminem. at illud hac in re maxime perpendendum, quod à clarissimis quoque viris diligenter notatum esse video, quod in crudis, atque malis humorum emissionibus eorum mutationes, nisi perpetuo deteriora sequentur, aperta sunt maturitatis indicia. quam rem nos sæpe in torminibus obseruauimus. Hippocrates vero in sputis adnotauit;
» *Abscessus autem omnes qui in cruribus erumpunt, in ma-*
» *gnis ac periculosis inflammationibus maxime prodesse*
» *solent; optimi vero sunt, cum sputa permutantur.* Præterea vero cum humores alieni demouentur; atque expurgantur, si nullum ægroto detrimentum afferant, & copiosius emittantur, salutem pollicentur. quod auté natura id maxime præstiterit, id argumento est, & quod facultas validior sit, cum antea eius vires fractæ viderẽtur; & quod post pessimi humoris eruptionem facile tulerit illius effusionem; & denique quod venter continuo contractus sit. Hæc vero humorum depulsiones simpliciter appellantur. quas Græci ἐκκρίσεις vocant. colliquatio autem, aut σύντηξις vel corporis tumor, vel macies consequitur. Hippocrates quidem cuncta ad humorum eruptionem, quam vel facile, vel

ægre

ægre ferant ægrotantes dirigit. at Erasistratus & tumorem corporis, & maciem recte meo quidem iudicio perpendit; etenim si colliquatio subest, vtraque consequi obseruamus.

CAP. XVI; *De iis morbis, qui pectus infestant.*

NVNC tempus est, vt de vniuscuiusque morbi notis agamus. exordiamur autem ab iis, quæ pluribus morbis communia sunt, qualia sputa esse videntur, quæ pleuritidis, peripneumoniæ, tabis, ac aliorum nonnullorum morborum, qui ad eas partes, per quas spiritus descendit, pertinere videntur, indicia esse dicuntur, de quibus tametsi subtiliter, & diligenter ab eodem Hippocrate, & Galeno quæsitum esse intelligam, eamdem tamen rationé, quam in inquisitione de vrinis, & deiectionibus seruare voluimus, cum de his agemus, sequi decreuimus. sputum omne, quod bonum simpliciter appellatur, hæc recipere debet, principio vt sit album, leue, & æquale; natura neque liquidum, neque crassum; deinde vt in ipsis primis morbi diebus excludatur, & denique vt facile proueniat. subflauum, subruffum, subpallidum, & spumãs, & tenuius cruditatem tantummodo enunciat. quæ vero simpliciter flaua sunt, aut ruffa, aut crassa, aut spumosa, viridia, aut nigra, ea sunt praua, & periculum maximum denuntiant. quod si etiam maligna fuerint, mortem subesse ostendent. cruenta vero & pituitosa, media sunt. alba, viscosa ac rotunda, prorsus inutilia. nihil vero exspuere, ac tussi sicca vexari, idem esse dicitur, atque in vrinis, cum summè crudæ descendunt. imbecillæ maturitatis indicia sunt, cum humidiora, ac liquidiora aut subrubra eduntur. de sputis hæc Hippocrates: *Sputum vero in omnibus doloribus qui pulmonem, costasque infestant, celeriter, & facile edi, & flauum, valdeque mixtum apparere maxime conuenit. Etenim si*

» *longo interuallo à doloris principio, quod flauum est, aut*
» *fuluum incœperit, & multam tussim præstet, & non valde*
» *mixtum esse dicatur, deterius omnino est; nam & flauum,*
» *& sincerum periculosum est; & album, & viscosum, ac*
» *rotundum, inutile. malum est & quod viride est valde,*
» *itemque pallidum, & spumans. quod si adeo fuerit since-*
» *rum, vt etiam nigrum videatur, hoc ipsum deterrimũ est.*

CAP. XVII; *De pleuritide, tussi, suppuratione, angina, glandularum inflammatione, catarrho, capitis, & dentium dolore.*

IN rei medicæ vsu, ac exercitatione quotidiana notauimus in pleuritide, quæ recte atque ordine ad iudicium properet, principio cruenta, deinde biliosa ordinatim semper ægrotos exspuere. quod dum hæc litteris mandarem ab antiquissimis quoque auctoribus animaduersum cum perspexissem, gaudio plane exultaui. id vero sputi principium morbi demonstrat, quod aut tenuius sit, aut plane saliua aut modicum. cum vero eliditur subrubrum, aut subcitrinum, tunc principii finis adest, atque incrementi est exordium. cum vero ab his coloribus recedit, atque album magis editur, tunc incrementi finis notatur. Status est, cum sputum album, & æquale, & lenius, & quod minime male oleat, proueniat. at in pestifera pleuresi tunc morbi principium est, cum aut parum excluditur, aut cum minime maturum est: incrementum, cum sputum ferri incipit, atque id liuidum est: cum vero idem sputum fertur viride, aut nigrum, status esse dicitur. Tussis inter prædictos morbos connumeratur, cuius maturitatis indicia sputa oculis nostris subiiciunt, quæ à materia, quæ à capite destillat, excitari plerumque solet. sputa in tussi matura alba, leuia, & æqualia, neque crassa, neque liquida esse debent. quod si diutius in pectore includantur, similia purulentis sputa euadunt.

quod

quod in Charite paullo post forte ostédemus.à nobis sæpissime obseruatum est sputa crudiora & liquidiora, & nonnunquam cum virore pallidiora, præsertim si facile edantur,in vehementiori tussi haud omnino improbari solere.namq; cum huiuscemodi materia à natura ferri amplius non possit,si facile sequatur, malum fieri leuius necesse est.in Asthmate etiam, quæ à pingui,&frigida pituita excitatur, si sputa facile edantur,qualia dicta sunt, maturitatem ostendunt. Suppuratio nullam habet maturitatem, nisi puris facti profusionem. qua in re perpendendum, quod vbi vires ægroti firmiores sunt, pus tenuius,liquidius, & minime viscosum fertur.vbi vero eædem infirmiores reperiuntur,crassius multo, & viscosius descendit. eorum etiam, qui tabe consumuntur, sputum prouenire debet album, æquale, eiusdem coloris, & ab inflammatione omnino nudatum. in iis, quos angina occupauit,sputa,id est, quæ ex ore profluunt, contemplanda sunt. cum morbus maturescit, (tumor enim est præter naturam)accessiones vesperi accedent,horror subsequetur. cum vero pus confectum fuerit, sanies profluet;cunctaque sunt sine metu:duræ autem appellantur, quæ maturitatem nunquam assequi posse videntur. siccæ ex quibus aut nihil aut minime maturum sputum redditur. eadem in glandularum inflammationibus solent excreari; in illis enim sine mora abscessus subsequuntur. abscessus vero incœpisse cognouimus,si inflammationis signa nascentur, & accessiones vesperi affligent magis cum horrore, & inæqualitate appellata, de quorum maturitate sic antiquissimus Auctor: *Quin etiam fluxiones in fauces concurren-* " *tes, ex quibus raucedines gignuntur; anginæ, erysipelata,* " *peripneumoniæ; cum hæc quidem primum salsæ, & humi-* " *dæ, acresque descendunt, tunc morbi status est; vbi vero* " *maturiores, & crassiores redditæ fuerint, atque acrimonia* " *minime præditæ, & febres, & alia, quæ homines vehemen-* "

» *tius affligunt, remittuntur.* In angina vero (quæ in rei medicæ vsu mea vel cautio, vel potius timiditas est) cum morbus inclinare videtur, nunquam non sollicitus sum & angor; etenim ea, quæ iampridem ex interioribus corporis partibus medicamentorũ vi summa commota fuere, de improuiso ad pulmones statim decurrisse sępenumero obseruaui, pręsertim si aliquid aliquando (vt fit) remisissem de studio cogitandi, & paullo negligentius cuncta tractassem. Gurgulionis inflammationem oculis ipsis vsurpamus. maturitatis eorum, quæ per nares descendunt, etiam ij, qui nuper de catarrho quædam litteris mandarunt, mentionem nullam fecerunt. ergo aquei, tenues, copiosi, & acres humores extremam cruditatem ostendunt. maturitatis initium sentimus, cum crassiores, & minus acres, & modici delabentur. mucus vero, & bléna cum profluit, medium inter maturitatem, & cruditatem signum habere putamus: at cum pauciora, crassioraque descendunt, maturitatem incipere significant. de
» quibus sic idem auctor: *Quemcumque grauedo occu-*
» *pat, & fluxio ex naribus accedit, hæc plerumque acrior*
» *est, & quotidie confluit, & in tumorem assurgit nasus,*
» *eumque exuret humor, & candet. quod si manum ad-*
» *moueris, exulcerabitur, præsertim si eam diutius imposue-*
» *ris, locusque minime carnosus, & durus existat. restingui-*
» *tur autem nonnunquam ardor in naribus non cum mate-*
» *ria fluit, & inflammatio consistit, sed cum fluxio crassior,*
» *& minus acris, maturaque & magis permixta fuerit; eo*
» *enim tępore ardor consedit.* Præterea si in grauedinibus febris accesserit, malum & citius maturescet, & ne
» repetat, minus timebimns. vnde illa Hippocratis: *Mi-*
» *nus iis (quod arbitror) qui grauedine laborant, & rauci-*
» *tate cum febre occupati sunt, recidiuæ fiunt*: quod & verum esse experientia comprobatum est ab antiquissi-
» mo Scriptore: *Quos tusses hieme maxime austro flante*
» *male habent, & multa, & crassa in illis excreant, si febres*

accesse-

accesserint, v. *die facile quiescunt.* in huiusce ægritudinis principio strenutamenta lędunt, cum nimirum crudi, immaturique sunt humores. cum vero ad maturitatem perducti sunt, eorumque profluuio amplius non laborat ægrotus, materiæ euocationem per sternutamenta validiora natura aliquando molitur. Lacrimæ quę ex oculis cadunt, potius humidi cerebri, & humoris, qui in capite inclusus est, naturæ indicia sunt, quam maturitatis, aut cruditatis; etenim lacrymæ (quod inquit Hippocrates) effunduntur aliquando quidem cum voluntate, nonnunquam inuiti, atque ingratiis ad eas cogimur; quæ vel multæ, vel paucæ; calidæ, vel frigidæ; tenues, vel crassæ apparent. calidiores humorem in capite maxime calidum, crassiores crassum; tenuiores tenuem redundare indicabunt. paucæ, vel multæ quantitatem humoris, qui in capite concretus est, demonstrant. quod vero ad voluntatem attinet, de ea sic Hippocrates: "*Qui febribus aut aliis morbis occupati spõte illacrymant, nihil est absurdi: qui vero sine voluntate, illud absurdius.*" in dentium quoque magnis doloribus animaduertimus primo quidem tenuia quædam descendere, deinceps crassiora, quod & obseruauit Hippocrates: "*Quibus*, inquit, *in dentium doloribus, tenuia a superciliis descendunt, iis, si piper bene imponatur, postridie crassiora effunduntur.*" idem in maximis doloribus capitis cum febre vidimus nos sæpe ex naribus fluere primo quidem tenuia, & feruida, deinde leuato dolore, & febre se remittente, & materia maturitatem iam assecuta, crassiora procedere: quod & notasse arbitror Hippocratem, cum scriptum reliquit: "*Quæ in naribus conüciuntur, si febris accesserit, & solutus fuerit dolor, crassa per nares effluent; sin dolor & febris continuabunt, tenuia, & fortasse feruida descendẽt.*" verba vero fecit (nisi plane fallor) de doloribus capitis vehementioribus cum febre acuta, quæ ex inflammatione aliquarum partium, quæ in capite sunt, oritur. in quibus curandis

ſæpe quædam in nares coniicere ſolemus, quæ & vulgo Errhina vocantur, quibus inditis, ſiquidem neque dolor ſummoueatur, aut febris non conquieſcat, tenuia & minus matura profluent; ſin natura humorem maturuerit, febrisque diſcutiatur, & dolor ſummoueatur, craſſiora prodibunt. Sæpe notauimus in morbis curandis ęgrorum palpebras continenter moueri, cum humores à natura in altum cõiiciuntur; in iisdem capitis doloribus ſummis cum febre acuta ad VII. vsq; diem ſanguinis profluuium expectandum eſſe; intercedente vero ſpatio, quamuis id quoq; aliquando incidere ſoleat, pus tamen frequentius vel aquam aut ex naribus, aut ex auribus cum ægroti ſalute ſolere erumpere memoriæ tradidit Hippocrates hiſce fere verbis: *Dolenti caput, aut vehementer dolenti, pus aut aqua, aut ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures morbum ſoluit.* eosdem capitis dolores diſcutit non pus ſolum, aqua, aut ſanguis ex naribus profuſus, verumetiam ſputa craſſiora, & minime olentia. hæc cum ex capite profluant, ſunt, qui putent illa ex partibus inferioribus emanare. illud vero pulcre cognitũ habetis, qui quam ſæpe hac in re medici diuerſa ſentiant, animaduerterit, atque ea, qua opus eſt, diligentia, hæc perpendat. Galenus certe ſanguinem à capite ad gurgulionis partes interiores deſcendere, eumque tuſſi protinus extrudi ſæpenumero obſeruauit. finiuntur quoque eiusmodi dolores, cũ in capite vlcera conſequuntur. quandoq; à ſomno, & ab aluo perturbata diſcutiuntur, quod ab auctore Coacarum prænotionũ pulcherrime traditum eſt: *Capitis dolorem ſoluit pus per nares, aut ſputa craſſa, & minime olentia. ſoluit item vlcerum eruptio. quandoq; & ſomnus, & alui profluuium.* Sputa autem vocat politiſſimus auctor, non quæ ex pectore ſolẽt emitti; ea enim capiti ꝓdeſſe nulla ratione queũt, ſed quæcumq; à capite emanantia per os reddere ſolemus. ſputa vocauit, qualia ſunt ea, quæ palato ſæpe inhæren-

hærentia ſpiritu naribus tantummodo attracto vix vi ſumma elici, atq; exprimi à nobis aliquando poſſunt. hæc ſi craſſiora fuerint, capite laborantibus ſanitatem reddidiſſe nos quoq; ipſi ſæpe obſeruauimus. fœdũ vero odorẽ excitantia pernicioſa ſunt; corrupta enim in capite omnia putredine ſignificãt. cuncta hæc (ni longe mea me fallit opinio) probe cõueniunt cum iis, quę vetuſtiſſimus Scriptor neſcio quo anni tempore ſe cognouiſſe teſtatur, cum ſcribit: *Quidam vehementibus capitis doloribus cũ febre laborarunt; quibusdã vero dolor in dimidia capitis erat parte; deſcendebat humor ex narib. quidã tenuis, aut maturus, nonnunquã ex aurib. aliquando ex faucibus: cũ vero ad capitis cutem tranſibat humor, cuncta erant ſecuriora* (ſic enim ex capite explico, ſententia ex auctore Coacarum prænotionum paullo ante citata admonitus) *quibusdam vero cuncta erant aridiora. ingens vero putredo plane periculoſa eſt. quod ſi bilioſus, atq; anxioſus vomitus aut oculorũ ſtupor, aut vocis interceptio, aut rarus ſermo, aut deniq; delirium acceſſerit; peſtifera ſunt, & conulſionem ſignificant.* Et paullo poſt: *Quicumque dolor in dimidia capitis parte eſt, & humores ex naribus effundetur, & præterea leuis acceſſerit febris, iis 5. aut 6. die calor ex toto conquieſcit: quod ſi nihil omnino per os reddatur, ſummam morbi cruditatem oſtendere manifeſtum eſt.*

CAP. XIIX; *Neruorum diſtenſionis, atque aurium doloris maturitatis ſigna.*

NERVORVM diſtenſio ſuas quoque habet maturitatis notas; etenim vbi huiſcemodi ægritudinis periculum ſubeſt, ſi pus cum vrina permixtum deſcenderit, bonum indicium eſt; morbum enim ad maturitatem properare ſignificat. concitari vero neruorum diſtenſionem ab humoribus à natura depulſis ad corporis noſtri partes poſteriores, in quibus à natura aut concoqui, aut diſſolui, aut plane exputreſcere alio in

loco demonſtrauimus. in aurium vero inflammationibus nemo neſcit pus erumpere ſolere album, & lene. eiusmodi vidi in iuuene xxv. annos nato, quem cum vehementiſſima in aure ſiniſtra inflammatio occupaſſet, intra xiv. diem pus ſequutum eſt, quale à me
» nuper dictum eſt. hac de re ſic Hippocrates: *Auris*
» *dolorem acutum cum febre continua, ac vehementiori*
» *plane horreſcimus. periculum enim affert primum furoris,*
» *deinde interitus. Quapropter cum lubricus locus maxime*
» *ſit, primo quoque die cetera omnia indicia diligenter per-*
» *pendere oportet. iuniores die* VII. *& nonnunquam matu-*
» *rius ab hoc morbo rapiuntur: ſeniores vero tardius iugu-*
» *lantur. Etenim & febres, & deliria ipſis minus ſuperueni-*
» *re ſolent. verum hac quidem ætate plurimos morbi, qui re-*
» *petere ſolent, conſumunt; minores vero natu antequam*
» *ad ſuppurationem ſpectent aures, tollunt. Quod ſi ex au-*
» *ribus pus profluat album, minores ad ſanitatem perdu-*
» *centur, præſertim ſi quid aliud præterea bonum ſignum ac-*
» *ceſſerit.* quin etiam in aurium deſtillationibus ſordes ſpectare ſolemus; experientia enim quotidie demonſtrat modo liquore quodam tenui, ac liquido, modo purulento ſcatere; quorum alterũ materię maturitatẽ, alterum vero cruditatẽ demonſtrat: modo autem fœtidum ſubminiſtrat; nonnunquam etiam talia ex auribus feruntur, vt fiſtulam in ipſis ortam eſſe facile cognoſcatur, quod & in Cydis F. obſeruatum eſt.

CAP. XIX; *De Lippitudinibus.*

IN lippitudinibus crudus humor tenuis, aqueus, & copioſior defluit, qui cum non longe à maturitate abeſt, paucior, & craſſior, & mediocris redditur. temporis dein ſpacio copia imminuitur, ſed eius natura ad eam craſſitudinem peruenit, vt palpebræ dormientium adeo eo comitantur, vt vix, ac ne vix quidem aliquando diuelli queant. quæ res nobis ante oculos

ponit

ponit materiam perfectam assecutam maturitatem,& morbum solutum esse. hæc egregie iampridem obseruata fuere,& litteris pulcherrime mandata à vetustissimo auctore II. prædictionis volumine, quorũ quamplurima in Latinum deinceps, verbum prope è verbo à Cornelio Celso conuersa fuere. pauca quædam reliquit, vel quod hæc ab alio, quem ad imitandum sibi proposuerat, auctore transcripserit, qui illa tantummodo vera esse multis experimentis comprobasset; aut quod ita in codicibus quos præ manibus habebat, scriptum repererit, qui deinceps immutati, ac deprauati, vt pleraq; alia, iniuria temporum ad manus nostras peruenerint. hæc res effecit, vt ego Cornelii verba, quæ huiusce auctoris locum exprimebant, exscribenda non putarim, quod aliquando quædam omissa ab eo esse animaduerterim. Integrum igitur hunc locum reddidi, vt probatissimi, antiquissimique scriptoris veritatem, fidelitatemq; sententiarum vnusquisq; facile percipere, ac cognoscere possit. *Oculi lippitudine laborantes facile ad sanitatem perueniunt, si & lacryma, & sordes, & tumor simul excitari cœperint. Si vero lacryma fuerit mixta cum sorde, & non magnopere calida, sordes autem alba fuerit, & mollis, & tumor non durus, & prope discussus, oculus noctu conglutinabitur, ac dolorem non habebit, & res sine periculo futura est, & minime diuturna. Si vero lacryma profluxerit multa, & calida, sordisque paullulum sit, & tumor modicus, idque in vno tantummodo oculo sit, diuturnius id euadet malum. verumtamen erit sine periculo, & dolorem nullum excitabit hæc morbi forma. iudicium autem in hisce maxime expectare oportet, primum quidem* XX. *die: sin hoc tempus defluxerit in* XI. *coniicietur: sin neque in hisce diebus malum finiatur, duorum mensium spatio durabit. Toto vero hoc tempore cõsiderare oportet, an digito misceatur, an alba, an mollis euadat; præsertim sub ipsum iudicii tempus. Si enim amplius fluxura non est, talis euadat. at si vterque hoc pa-*

» *tiatur oculus; periculum augebitur, ne vlcera aliquan-*
» *do excitentur, iudicium vero breui futurum indicabit.*
» *sordes autem ficciores maiores dolores mouent. at matu-*
» *rius indicantur, nisi quid oculum exulcerârit. Si vero tu-*
» *mor magnus fuerit, & sine dolore & ficcior; sine vllo peri-*
» *culo est: si cum dolore fuerit, malus est: si ficcior sit, & pe-*
» *riculum est, ne exulceretur oculus, ac concrescat. sed gra-*
» *uis quoque est tumor, si lacrymam coniunctã habeat, nec-*
» *non cum dolore sit. Si enim lacrima effunditur calida &*
» *salsa, exulcerationis timor in palpebris, pupillisve est: si*
» *tumor desideat, sed lacrima multa diu profluat, & sordes*
» *adfuerint; viris quidem palpebrarum euersionem prædi-*
» *cere oportet, mulieribus autem, & pueris exulcerationem,*
» *ac euersionem palpebrarum. quod si sordes pallidæ, ac liui-*
» *dæ fuerint, & lacrima multa, & pallida eat, caputque*
» *caleat, & a temporibus ad oculos dolor perueniat, huc quoq;*
» *vigiliæ accesserint, necesse est, vlcus in oculo excitatũ esse;*
» *& timor quoq; est, ne oculus disrũpatur, febris inuadat, aut*
» *dolor, qui ad lumbos descendat. prædicere vero hisce futura*
» *oportet ita, vt respectũ habeamus ad tẽpus, & ad ea, quæ ex*
» *oculis manãt, nec nõ & ad dolores ac deniq; vigilias.* Hæc antiquissimi auctoris verba, tametsi paullo longiora, describere maxime volui, vt vnusquisque cognoscere posset vera maturitatis, & cruditatis in lippitudinib. indicia. quæ tametsi aliqua ex parte mendosa esse facile sentiã, tamẽ haud despero futurũ aliquãdo, vt meliores codices nacti non solũ hos, verũetiã quãplurimos alios huiusce auctoris locos corrigamus, ac restituamus. veteres enim auctores, qui nonnullis cœnum, & tenebræ esse videntur, habent quædam recondita, quæ vt illustrentur, maxime optandum est; quæ huiuscemodi sunt, vt illis de medio sublatis ars ipsa manca, & imperfecta esse videatur. hic autem quisquis fuerit auctor certe grauissimus, ac clarissimus, qui nobis ante oculos ponit maturitatis, ac cruditatis signa in lippitudinibus, principio non solum lacrimam, & sordem, sed

etiam

etiam tumorem diligenter, & accurate perpendit. lacrimam multam, ac calidam summam cruditatem ostendere affirmat; salsam vero non solum crudam, verumetiam malignam esse demonstrat. sordes, quæ maturitatem assecutæ sunt, paucas, albas, molles esse debere præcepit. mollem autem esse dicit, quæ digitis facile permisceri potest, siccæ omnes crudiores sunt. pallidæ, liuidæ malignæ sunt. deinde tumor, qui si fuerit doloris expers, ac siccior, à periculo tutum hominem demõstrat. testatur enim paucam materiam malum excitasse; leuis, ac paruus si cum lacrimis multis, ac calidis fuerit, non absque aliqua tamen sorde, quæ maturitatem moliri naturam demõstrat, diuturnum malum indicabit. adiungit præterea signa, quæ minime videmus, sed auribus vsurpamus, vt dolores, & vigilias; etenim si maiores sunt dolores, morbum nondum à natura victum, ac profligatum ostendẽt, quemadmodum & vigiliæ, de quibus plurima paullo ante scripsisse meminimus. cuncta postremo breui quadam, eaq; egregia sententia complexus est: *Prædicere autem in* " *his, quid euenturum sit, oportet:* quod præstare optimum " quemque medicum non solum in hoc, verumetiam in omnibus morborum generibus maxime decet. primum autem anni tempus spectari oportere tradit. omittit autem regionem, ætatem, & temperaturam, quæ in omnibus morbis spectanda esse, nemo iam est, qui nesciat. in more enim apud antiquos positum est, vt hæc veluti nota sæpissimé silẽtio inuoluantur: quare quotiescumque in alicuius ex hisce mentionem incideris, ad reliqua quoque propter similitudinem mentem erigere, ac impellere semper debebis. deinde ad ea, quæ proprie in hoc morbo contemplanda sunt, descendit, nempe quæ ex oculis manant. ea vero sunt aut lacrimæ, aut sordes, quæ oculis ipsis videmus. postremo loco adiungit vigilias, & dolores, quæ tantummodo audire solemus; tumorem vero sapienter ad-

modum præterit, quod non huic tantum malo conueniat, ſed etiam plerisque aliis communis eſſe dicatur. Et alius: *Rurſus quæcumque fluxiones ad oculos concurrunt, quamuis maximæ, & omnibus acrimoniæ generibus præditæ, exulcerant palpebras & genas, & quæ oculis ſubiectæ ſunt partes, corrodunt, nec non corrumpunt eas, quæ oculum ſupertegunt, tunicas; dolores item, ardores, & inflammationes vehementius, longoque tempore affligunt, donec fluxiones fuerint maturæ, & craſſiores redditæ, & lacrimæ congelatæ manarint: gignitur autem maturitas ex permixtione, temperaturaque mutua, & quaſi coctura.* Solent etiam in morbis oculorum, quædam ex naribus fluere, quæ morbum aut maturum eſſe, aut maturitatem inchoatam ſignificāt. quod & ab antiquiſſimis ſcriptoribus optime demonſtratum eſt hac ſententia; *Quibus fluxiones in oculis eunt tenues, ac diuturnæ, ſi maturæ in nares profluxerint, proſunt.*

CAP. XX; *De peripneumonia, lienteria, voluulo, diarrhœa, dyſenteria.*

IN peripneumonia vrina (nam de ſputo antea ſatis diximus) quod ad colorem pertinet, ruffa eſt; natura craſſa, liuida autem vel tota, vel media pars, quæ ſurſum ſpectat. Si morbus ad ſalutem conuertitur, aut ſanguinis profluuium ex naribus protinus expectandum eſt, aut certe venter perturbatur; humores vero bilioſi, & ſpumoſi extruduntur. quod ſi inflammatio ad ſuppurationem ſpectet, pus aut in ventrem, aut in veſicam deſcendet. in lienteria, & cœliaca ægritudine humidior, & quæ ciborum qualitatem ſeruat, deiectio, crudior eſt; mala, graueolens, peſſima nigra. Sitis, & cibi faſtidium deteriora ſunt. ferri vero vrinam, atque ali cibo corpus, ſecuritatem pollicetur. ructus acidus, qui antea nunquam ſubſecutus ſit, veluti Damocratę contigiſſe ait Hippocrates, bonus eſt. in eo vero affectu, qui

qui ex caliditate oritur, acidus ructus frigidioris erit intemperiei, & contrarii affectus apertum indicium. in voluulo, ſeu ileo alui quoq; proluuies animaduertenda eſt. etenim ſi cruda pauca, tenuia erunt, quę venter reddit, ſummam cruditatem oſtendent; omnis enim vis morbi huius inteſtina vel craſſiora, vel tenuiora obſidet. in fluxu ventris febris, deiectio glutinoſa, candida, & ſubcrocea mala eſt, præſertim ſi leuis fuerit. pernicioſior ſi nigra, liuida, opima, & fœtida ſequatur; diuturnior ſi variis coloribus prędita ſit, tametſi & hæc aliquando peſtifera ſit. hic quoque morbus ſua habet tempora. ſtatus morbi peſtiferi eſt, cum non modo ſuperuacanea exhaurit, verumetiam totum habitum colliquat, viresque deiicit. quo tempore medicamenta quoque à Medico adhibentur, quæ adſtringant. ventris fluxus aut paruus eſt, aut magnus, aut nimius. in dyſenteria nigra, varia, graueolentia, & quæ porri ſimilitudinem habeant, peſſima. mortem imminere indicant ſuperuacaneorum copia, deijciendi cupiditas frequentior, & quæ hæc ſequuntur, virium infirmitas, & ſitis, & ciborum faſtidium. inter initia cruenta, deinde ſanioſa deſcendunt. nonnulli primo ramenta, poſtea pinguia, & ſi malignus fuerit morbus fœculenta, & fœdi odoris; poſtremo cancer ſequitur. Dyſenteriæ tres gradus eſſe dicuntur: primus eſt, cum vnà cum illuuie alui pinguedo quædam deſcendit. Secundus eſt, cum iiſdem alui ſordibus excernuntur quædam carnoſa, quæ plane corticis ſpeciem referunt. Tertius eſt, cum pars quædam ipſorum inteſtinorum emittitur. hanc autem humores acres, erodentes, & malignos excitare nemo neſcit. quorum qualitates cum à natura paullatim retundantur, ac reprimantur, tormina quoq; paullatim leniuntur, ac mitigãtur. leniuntur autem ex arte potiſſimum temperantibus ac maturantibus, atque iis, quę humorum illorum qualitatem moderatius temperare poſ-

ſunt non rebus pinguibus,quod à nonnullis factitari animaduerti haud ſatis perpendentibus pinguedinem omni carne ſui generis deteriorem eſſe,tum ad concoctionem, tum vero ad nutritionem ob humiditatis ſuſpicionem.cum autem deiectiones quam commodiſſimas in omnibus dyſenteriæ generibus conſeruare oporteat,craſſius ſcilicet, & obtuſius reddendo quod confluit,nõ cõmittam,vt te decipiat materia quædam alba,craſſa,quæ perpetuo deſcendit,quę pituita minime eſt, quod nonnulli arbitrati ſunt,ſed albedo,mundiria,nitorque inteſtinorum,& tandem quædam,quę ea format,ac conſtituit natura.in febribus quæ potiſſimum à bile excitantur,in quibus ægroti neque capitis dolore,neque delirio vexantur,ſi vrina alba deſcenderit, dyſenteriæ protinus metus eſt.

CAP. XXI; *De iocinoris & lienis imbecillitate,aſcite, de inflammationibus renum, & veſicæ.*

MATVRITATEM in iecoris imbecillitate hac ratione percipere poſſumus.etenim ſi imbecillitas ex frigore, nullo tumore oriatur,maturitaté in iis,quæ venter effudit,ſpectare oportet.excernuntur autem in iis,qui huiuſcemodi malo laborant, principio aquoſæ deiectiones loturę carnium recenter mactatarũ perſimiles;deinceps vero craſſæ veluti olei ſordes, quæ vulgo amurca vocatur,quæ peſtifera eſt.etenim vbi iecur ob imbecillitatem amplius ſanguinem gignere nõ poteſt,vbiq; inchoata tantum eius cõcoctio eſt.pars ſanguinis ſeroſior,& aquoſior,quęque colorem tantummodo ſanguinis repræſentat, primo quoque tempore veluti grauás nullo negocio à natura pellitur,ac deiicitur.quæ vero craſſior ob virtutis imbecillitaté excerni non poteſt,quapropter in iecore moratur.in loco autem calidiori moram diutius interponens tẽporis ſpatio putrefieri,ac aſſari neceſſe eſt.vnde febres excitantur

tur malignæ. atque vbi multa paullatim illius materiæ copia coaceruata, ac collecta fuerit, aliqua eius pars infra transmittitur, quę ad amurcæ similitudinem quam proxime accedit. reperti sunt nonnulli haud postremi Medici, qui vrinas, quæ simile quid habent aquæ, in qua carnes nuper mactatæ lotæ sint, in huiuscemodi morbo procedere solere dicant. quos longe mea quidem sententia errare existimo. vix enim intelligi potest sanguinem ab aliqua parte cum vrina decurrere, nisi renes affecti sint. Sin eadem imbecillitas iecoris concitetur ex caliditate, febres, & colliquationes accedunt, principio quidem humorum, dein carnis ipsius iecoris. atque erumpit per aluum bilis crassior, & quæ male olet, & colore maxime prædita est. quod & in pestilentibus febribus, aliquando euenire videmus. etenim hæc iis, quæ stomachus extrudit proportione respondent. nam cum ventriculus optime concoquit, nihil eiicit. cum vero copia vel corruptione, vel humiditatibus superuacaneis grauatur, ea per vomitum profundere conatur. aquosæ vero simul & cruentæ, & tenues humiditates, vel proluuies maxime rubens, nec non & bilis, & si qua alia erumpere solent, ab iecore in ventrem confluunt. & quemadmodum ventris valde rubra proluuies iecore affecto fertur, ita perrubram vrinam ex renibus descendere affirmamus, cum natura officio, & muneri suo deest propter caliditatem. quod si frigidiores fuerint renes, vrina reddetur aquosior. quod si iecoris caliditati vel frigiditati siccitas, vel humiditas adiuncta sit, liquidiora in humiditatis copulatione, sicciora vero in siccitatis complexione eiicientur. in iecoris abscessu vrina fertur vinea, spissa, & liuore decolorata. Si lien imbecillius sit propter frigiditatem, quæ venter excernit, liquidiora, & nigriora erunt. Sin propter caliditatem coacta magis, attamen nigriora, magis vero, ac minus liquidiora, ac sicciora propellentur

pro ratione consociationis qualitatum. Ascites vrinam colore minime præditam obtinet, crassam, quæ colorem obscurum, fuscumque habeat. at si ex iecore morbus est ortus, vrina erit pauca, & fere crassa, & rubicundior. nõ sum autem nescius inflammationes aliquando in partibus nobilioribus contingere solere; & v étriculum enim, & iecur, & renes corripiunt. inflammatio autem primum quidem ne excitetur, quantum possumus, enitimur. quod si nobis inuitis oriatur, aut fluxio vincat, aut vincatur, necesse est, quod & in priori volumine demonstrauimus. concitatur ex nonnullorum sententia ex biliosiori quidem succo, at lento, ac concoctu difficiliore, quod & in nostris Anthologiis animaduertimus. Si vincit, particulæ corruptio sequitur; sin victa est, aut discutietur, ac resoluetur, quod votis omnibus optandum est. se maturescet, vitiis multis affectus cœnosus, & putris sanguis extruditur. qua in re duorum alterum consequatur oportet, & puris generatio, aut abscessus. in ea vero re naturæ opera maxime solet elucere. cum enim calor præter naturam cuncta ad putredinem trahere videatur, illa spiritu, & vapore id potissimum cõtendit, ne materia putrescat. ex concursu igitur spiritus, & caloris distensio accidit, à qua dolor, & doloris sensus cooritur: cum vero in dies magis, ac magis calor increscat, febris consequitur calidiori scilicet reddito corde, patefactis arteriis, dum sanguis ebullit, ac tandẽ pus gignitur. pure absoluto vicit natura, & materia attenuata, caliditas ignea & febris extinguitur, & dolor denique abstergitur. Pus autem debet esse album, æquale, leue, & quam minime fœtidum. album quidem refert naturam maturescentis caloris. ęquale, ac lene demonstrabit calorem naturalem illum factum paullo calidiorem in materia perficienda vincere, ac superare. male idcirco olere nolumus; quod quæ olent, putredinem quamdam subesse significent. pus quoque si cum vrina reddatur in eorum ægritudi-

gritudine, qui in neruorum distensionem inciderunt, signum bonum est, & morbum maturari indicat, quod & paullo ante admonuimus. de pure hæc scripta reliquit Hippocrates: *Pus optimum est, si candidum, æquale, ac leue erit, ac minime oleat. quod vero huic maxime opponitur, deterrimum est.* in cunctis autem inflammationibus quæ nulla habent densiora tegumenta, vt in iis quæ exteriorem cutem occupant, quædam sanies ἰχῶρες à Græcis vocantur, tranfunduntur, inter initia tenuiores, dein si maturitatem assecutæ sint, crassiores. atque harum quædam magis, & minus maturitatem capiunt. hoc in oris, oculorumque inflammationibus nullo negocio obseruamus; necnon & in iis inflammationibus quæ interiores partes corripiunt, in quibus cum inflammatione cutis exterior protinus discissa est. cum vero aliqua extiterit inflammatio cum tanta meatuum densitate, & nihil plane ex ea erumpat, illã & difficilius maturari, & eius maturitatem longius duci necesse est. si à superiorib. partibus pus exprimitur, cum vrina optime confusum est. quod si ab inferioribus partibus delabitur, in vase quo vtimur ad cõfecti potus reliquias colligendas, plane subsidet: quod si ex particulis, quæ inter hasce, & illas positæ sunt, descenderit, non omnino permixtum videbitur. si vero ex vesica fertur, vrina laminas quasdã repræsentat. sin à renibus, carnosa quædam trahit. in inflammationibus tunc morbi status est, cum humor, qui partem ægritudine affectam occupauit, innatat, & maxime feruet. tum vero etiam maxime calefit, & vehementissima inflammatio est. in renum inflammationibus inter initia vrina alba apparet, dum crudior scilicet morbus est. dum cõcoctionem assequitur, primo flaua, dein rubra. inueterascente morbo, si materia maturitatem percipiat, & eius color & natura, & quod subsidet, optima erunt. Sin autem vrina crudior perduret, alba videlicet, & tenuis aut abscessus, aut scir-

rhus in timore erunt. atque ſcirrhus quidem ſi vrina vel alba,& tenuis feratur. aut ſi craſſior,& multa pituita admixta deſcendet. ad abſceſſum tendet, ſi excreetur tenuior, & multo rubrior euadet. in inflammatione veſicæ vrinam purulentam, album & leue obtinens ſedimentum, morbum finire dixit Hippocrates. & quoniam in morborum veſicæ mentionem incidimus, illud prætereundum minime eſt: quod ſi eam vlcera occupabunt, deſcendent vrinæ ex nigro, & albo colore mixtæ, quem Venetum appellant.

Cap. XXII; *De abſceſſibus & ſugillationibus.*

ABSCESSVS ille optimi ſunt, qui in exteriorem partem feruntur parui, & in acutum acumen faſtigiati. magni & qui minime acuuntur, deterrimi. quicumque vero intro rumpuntur, optimi ſunt, qui cutem non afficiunt, & ſunt contracti, & ſine dolore. neque vero nunc de iis abſceſſibus agimus, qui κατ' ἔκρσιν erumpere ſolere in noſtro τῶν παρασκευασικῶν dicebamus, ſed de iis, qui κατ' ἀπόθεσιν fiunt: qui ſi in iudiciis excitentur, nullum non membrum, nullam nō ſedem corporis occupare videmus. at qui propulſione naturæ plerumque ſine febre conſequuntur, ad emunctoria appellata ſępenumero extrudūtur. an hoc fit, quod & natura in morbis imbecillior eſt; & quod loca, & tranſitus præcluſi, obſtructique ſæpe ſint, & quod deniq; à materia fatigata ſat habuerit natura eam aliquò expuliſſe, de cetero nihil plane laboret? de hiſce ſic fere Hippocrates: *Tubercula foras vergentia, atque in acutum acumen faſtigiata, & omni ex parte æquabiliter matureſcentia non dura, & deorſum ſpectantia nec bicipitia, optima; contraria vero mala; & quanto magis ab hiſce longe abeſſe dicuntur, tanto deteriora.* Et alibi: *Abſceſſus boni ſunt, qui infra morbi ſedem ſubſequuntur, vt varices, lumborum grauitates, quæ a ſuperioribus partibus in inferiores deſcendunt. optimi potiſſimum illi eſſe dicuntur,*

tur,

tur, qui superiores partes leuantes in inferioribus incidunt. "
atque a ventre, morbique sede quam longissime recedunt. "
Et alio in loco: *Quib. in pulmonis inflammatione abscessus aut circa aures fiunt, aut in inferioribus partibus atque ad suppurationem tendunt, & in fistulas euadunt, ii facile ad sanitatem perducũtur, verumtamen huiuscemodi abscessus hac ratione perpendere oportet. Si & febris vrgebit, & dolor infestabit, & sputum pro morbi ratione nõ proueniat; neq; aluus aut biliosa, aut syncera profundet, aut cita sit, vrina etiam neque admodum crassa, neque multa subsidentia prædita, tunc abscessus orituros sperandum. an vero salutares futuri sint, aliis ex signis colligendum.* quæ tamen indicia idem indicauit Hippocrates, cum fere inquit: *Maturi in morbis abscessus an decernant, illud argumento est, quod dum maxima sunt mala, febris ex toto quiescat: & dum affligitur ægrotus, facile ferat. tales vero fuerunt, qui sedem corripuerũt Charoni. Erumpunt in inferiorib. partib. quib. inflammatio aliqua circa præcordia excitata est. Superiora loca occupabunt, quibus præcordia mollia, & sine dolore sunt; atque vbi spirandi difficultas, quæ diutius ægrotum vexarit, nulla manifesta de caussa finita videatur. Ceterum abscessus in cruribus in magnis pulmonum inflammationibus ac periculosis omnes valde prodesse solent. Optimi vero sunt, qui fiunt, dum sputa maturescunt; etenim si tumor, & dolor vrgeat, sputumque pro flauo purulentum edatur, ægrotus certissime ad sanitatem perducetur, & abscessus sine dolore celerrime desinent: quod si sputum facile non prouenerit, neque in vrina subsidentia, qualem optimam esse debere paullo ante diximus, conspiciatur, periculum est, aut ne claudus fiat ægrotus, aut certe malum solicitos animos nostros, & plenos molestiarum maxime reddet. quod si abscessus desideat, ac quasi recurrat nullo sputo cum febre continua, difficilem morbum indicat, & periculum subest, ne aut ægrotus insaniat, aut omnino extinguatur.* prętεrea in abscessibus "
dolores & febres, accedunt magis cum pus conficitur,

quam eo iam cōfecto ex Hippocratis sententia. quamobrem venarum motus, ardor, distensio, febris, punctiones, color cutis rubens, durities, sitis, vigilia cruditatem cum aderunt, significabunt; cum vero absint, & se remiserint, maturitatem demonstrabunt. quod & à Cornelio Celso egregie præceptum est his verbis:
" *Crudum est, in quo magnus quasi venarum motus est, &*
" *grauitas, & ardor, & distensio, & dolor, & rubor, & duri-*
" *ties, & si maior abscessus est, horror, aut etiam febricula*
" *permanet penitus condita suppuratione. Si pro his, aliquæ*
" *intus se ostendunt punctiones, vbi istæ se remiserunt, iam-*
" *que locus perurit, aut subliuidus, aut subalbidus est; ma-*
" *tura suppuratio est, eaq; vbi vel per ipsa medicamenta, vel*
" *etiam ferro aperta est, pus debet emitti.* in sanguine quoque extra venas transfuso, vt in suggillatis, signa cruditatis, & maturitatis reperiuntur. Sugillatæ autem partes molliores, & subuiridi colore præditæ naturam victricem ostendent. rubræ inflammationem sequuturam demonstrant. nigræ naturæ vires diminui, ac consumi indicant, quæ tum propter imbecillitatem inflammatarum partium, tum vero propter prauæ materiæ copiam, quæ eum locum occupauit, sanguinem neque maturescere, neque discutere, neque in pus conuertere potest: quapropter ad illud vltimum venitur, vt partes nigrescant, ac corrumpantur; quod & obseruauit Hippocrates cum hæc fere scripsit: *An*
" *vero recrudescant, hæ maxime notæ sunt; cum suggillata*
" *venarum nigra reddita sunt, & vicina his subrubra, ac*
" *subdura efficiuntur, talia ne recrudescant, summopere ve-*
" *rendum.*

CAP. XXIII; *De articularibus morbis, ac vlceribus.*

CRASSVS humor, qui podagram, coxendicum dolorem, morbumq; articularem excitat, cum propter materiæ profluuium, tum propter loci naturam, ad ma-

ad maturitatem perduci non poteſt. etenim nunquam fere accidit, vt materia in hoc morbo tota ſimul confluat. ſedes vero affecta frigidior eſt; cunctas enim eas partes tenent oſſa, & ligamenta. diſcutere igitur eam ex artis præceptis conamur; quod ſi aliquando id ægrotorum intemperantia aſſequi non poſſumus, materia in tophum euadit, qui vel ex cauſſa frigidiori, ſi nulla medicamenta calidiora acceſſerint; vel ex calidiori, ſi quamplurima eius generis admota fuerint, quæ humorem aſſarint, gypſeumque reddiderint, accidere conſueuit. Humorem digerimus ad ſummum XI. dierum ſpatio. is enim terminus pulcherrime conſtitutus eſt ab Hippocrate: *Morbi podagrici repreſſa* « *inflammatione intra dies* XI. *remittere ſe ſolent*. Vrina « multa, & craſſa, ac (vt ita dicam) ſubiugalis, itidem varices, morbum, qui in articulis vrget, tollere maxime conſueuerunt. Reliquum id vnum (ni fallor) eſt, vt dicamus de vlcerum maturitate, quæ non modo in exterioribus partibus corporis oriuntur, verumetiam in interioribus vt in dyſenteria. ab vlceribus vero principio ſanies aquoſa, & tenuis profluit, quæ cruditatem oſtendit; inde paucior, & craſſior exit, quæ maturitatem aliquam ſubeſſe demonſtrat. poſthæc pus tenue, & aquoſius fertur. deinceps copia minor redditur. poſtremo quale antea deſcripſimus, erumpit albũ, æquale ac leue. quod perfectam, & abſolutam maturitatem materiam nactam fuiſſe indicat. nonnunquam etiam craſſum quoddam apparet, quod aduſtum eſt, quod calorem pręter naturam appellatum dominari oſtendit. ſanies pallida, nigra, lutea, male olens, viſcoſa, ac variis deniq; prædita coloribus non mala eſt tantum; verumetiam maligna, ac peſtifera. in huiuſcemodi vero coloribus ſaniei quemadmodum & in vrinis, ac deiectionibus magis, ac minus variant ratione materiæ: quæ cum aliquando magis putrida ſit, aliquando vero minus, vſu venit, vt ſanies modo hunc magis colorem,

modo illum repræſentare videatur; & modo malam, modo minus bonam, modo vero deteriorem eam eſſe dicamus. *Si ex vlcere* (dicebat Hippocrates) *pus album apparebit; expeditam fore curationem indicat: ſi vero exibunt humores ſanioſi, vlcus malignum eſſe ſignificat*: namque ſanies calida, humidaque immoderate eſt.

Cap. XXIV; *De pure, quod ab interioribus partibus deſcendit.*

ET quoniam euenire ſæpe ſolet, vt pus ex interioribus corporis partibus erumpat, ac difficilius cognoſcatur, operępretium eſſe duximus hoc loco ſigna puris adſcribere. pus non modo cognoſcitur ex colore, verumetiam odore, præſertim ſi incendatur. ſi in aquam coniiciatur, diſſipatur. item minime ſubſidet, quemadmodum pituita, ac crudus humor. veteres vero in vaſis indere aquam ſolitos fuiſſe, quibus etiam ad colligendas confecti cibi reliquias vtebantur, in Ramentorum libro, qui in Anthologiis XVII. eſt, obſeruauimus. conſulto prætereo, quod eo in loco, in quo pus coierit, grauitas quædam ſentitur, & cum extruditur præſertim ſi per aluum deſcendat, nunquam non ſtrepitus exauditur. illud nullo modo omittendum, quod ſi noctu depellitur, lumen cauſſa eſt, vt pus fuluum appereat, id eſt, eo plane colore præditum quo aurum quotidie eſſe videmus. ex vlcere inflammato exiguum pus, cruentum; aut fœculentum, magnoque cum dolore deſcendit. ex ſordido autem copioſius, & ſanies minore negocio, atque labore profluit. ex depaſcente fœtidum, nigrum, tenue cum ſummis cruciatibus: his quoque cetera inflammationis indicia veluti cumulus quidam accedunt; ex carne pus leue, album, copioſius fertur. ex neruoſo loco coloris quidem eiusdem, ſed tenuius, & minus; ex neruo pingue, ac oleo non diſſimile.

Cap.

CAP. XXV; *Permixtorum humorum maturitates.*

PERMIXTORVM autem humorum maturitatem facile cognoſcemus ex ſimplicium maturitate, in quorum tractatione malo ingenium deſiderari, quam ſtudium, & diligentiam. quid vero hoc loco aliud præterea afferre poſſumus, quam illud, quod multo ante à Galeno traditum eſt, à nobisque alio in loco diligenter notatum, quod morbi, qui à variis, multiplicibusque humoribus excitati ſunt, & diuturniores, & maligni ſunt: quod & difficilius concoquantur, & morbus præterea morbo adiunctus eſſe videatur: quæ res mirificæ naturæ vires frangit, ac debilitat. Hactenus de notis maturitatis. & quemadmodum ad vniuscuiusque morbi genus accommodari illæ debeant, abundanter, ac ſine vlla altercatione, quemadmodum te maxime velle intellexi, ſatis demonſtratum arbitror. nunc vero reliquum eſt, vt experiamur num ea indicia maturitatis, & cruditatis, quæ ab Hippocrate in libris De morbis vulgaribus ſunt notata cum iis, quæ hactenus tradita ſunt, conueniant, quemadmodum in principio huiuſce tractationis oſtendere polliciti ſumus.

IOANNIS BAPTISTÆ DONATII DE MATVRITATE MATERIÆ IN MORBIS

LIBER III.

AD MICHAELEM ANGELVM BERTOLINIVM.

CAP. I; *Singularia vniuersalibus coniungenda veterum auctorum more, modoque.*

TERTIO hoc in libro, MICHAEL ANGELE BERTOLINI præstantiſſime, rem nouam, atque inauditam me feciſſe prædicarem, ni vererer, ne diuinis ac prope cæleſtibus hominibus, qui de hac arte, hoc eſt, de nobis ipſis optime meriti ſunt, impie ingratus eſſem: etenim nullus vel noſtra, vel etiam patrum memoria vnquam inuentus eſt, qui ſingularia vniuerſalibus coniungens, veterum probatorumque auctorum morem modumq; in ſcribendo ſeruare ſtuduerit. Omnes de præclara illa via, ac ratione, quam nobis iidem optime reliquerunt, iampridem deflexerunt; ac vel ad breues inanesque quaſdam delapſi ſunt quæſtiunculas, in quibus cuncta cum ſubtiliter, tum commode ſe perſequi poſſe exiſtimarunt; vel reſponſa quædam, & deliberationes medicas monumentis litterarum conſignare voluerunt, quibus & rem frugaliter feciſſe cognouerunt, & nomen ſuum immortalitati ſe commendare poſſe putarunt. Etenim ſexcentis veterum teſtimoniis illam cōſuetudinem antiquiſſimam eſſe, poſſem facile comproba-

probare, nisi temporum iniuria præclara quæque antiquorum scripta nobis essent plane erepta: verum vnus Hippocrates sit nobis pro sexcentis millibus, ex nonnullis illius operibus, quæ ad hæc vsque tempora diuinitus nobis conseruata esse videntur, multæ magnæq; vtilitates ad nos permanarūt. ceterum illa haud postrema, quod quemadmodum præcepta vniuersalia ad experientiæ perpendiculum normamque explorare oporteat, diligenter demonstrarint: qui generatim sententias litteris nunquam mandauit, quin prius summa cura vsuque easdem vt plurimum veras esse comperisset. Testes sunt multæ, ac multæ in libris De morbis vulgaribus sententiæ, quarum quædam imperfectæ sunt, nonnullæ haud semper veræ, plures in dubium relatæ reperiuntur, quæ dignæ illi haud visæ sunt, vt inter ceteras referrentur. Quid? doctrinam omnem, quæ futura prædicit, libro Prognosticorum cum complexus esset, quoniam generalia præcepta tradere non satis esse animaduerterat, nonne ad ea docenda ac præcipienda, quæ in operibus ac exercitatione quadam continebantur, animum adiecit? Epidemiorum librum videlicet conscripsit, in quo exempla sunt eorum, quæ in libris Prognosticorum generaliter tradita fuerunt, multa vero omnino ab vniuersa rei medicæ cognitione ad singulorum ægrotorum historias necessaria transferimus; at minime vulgaris ex singulorum ægrotorum peritia ad vniuersam rei medicæ scientiam intelligentia quoque accedere videtur. Galenus quidem cum de difficultate respirationis scriberet, ab hac via minime recessit, qui posteaquam diligentissime caussas, & differentias omnes difficultatis respirationis persecutus esset, nihil sibi putauit antiquius quam reperire an quæ ab ipso tradita fuere, cum iis, quæ Hippocrates ipse notauit, conuenirent. Quæ in re præstanda duo consecutus est; alterum vt optimi auctoris sententias de

respiratione explicaret, quas nullus vnquam studiosus non libentissime cognouit; alterum vero, vt cum non posset, aut potius nollet suis, probatissimi, antiquissimique scriptoris experimentis, in iis, quæ tradiderat comprobandis, vteretur. Cuius vestigia, quantum possum, ipse premens ad eadem confugi; quæ præterquam quod maiorem in hac re confirmanda auctoritatem habitura sint, & rem gratam medicæ artis studiosis, qui veterum scriptorum lectione plurimum delectantur, facere opinor; tum etiam maleuolis obtrectatoribus maledicendi occasionem omnem auferam, qui vias omnes perquirunt, quibus studiosos aut captent, aut deterreant, aut interturbent. Noli quærere si meis vsus essem testimoniis, qui fuissent de illis nonnullorum sermones. en qui qui vult, vt suis fides habeatur? Quod reperti essent, qui partim à me in ipso tempore ea commode ficta esse dicerent, partim vero haud verisimilia esse contenderent; qui neque testibus productis, neque sacramentis adduci potuissent, vt illa vera omnino esse crederent. His rebus commotus meis præteritis, aut potius aliis temporibus reseruatis, ea quæ Hippocrates ipse nobis scripta reliquit de maturitate materiæ, explicare décreui; quæ non solum exemplorum vim quamdam obtinebunt, verumetiam in exercitationis cuiusdam haud insulsæ locum succedent; quæ nisi rebus paullo obscurioribus addatur, parum omnino studiosis consulimus: quibus si aliqua ex parte satisfecisse sensero, meorum laborum fructum mihi vel amplissimum constitisse arbitrabor.

CAP. II; *Cur iudicia his temporibus nulla consequantur; & medium naturæ administrum esse debere; atque Medicos maxime offendere solere in medicamentorum & victus ratione.*

SED cum ad nostrorum Medicorum medendi rationem, ac viam me conuerto, minus profecto mirum videbitur, quid sit quod cum antiquissimi auctores in vnoquoque fere morborum genere sæpissime iudicia exerceri obseruauerint; eadem nos nunc tam turpiter frigere videamus. quorum nonnulli diuersis medicamentis quotidie homines lacerant, alii ad Apogemata, quę aluum quoque exercent, statim decurrunt, quæ quotidie data plerosque lædunt, paucis admodũ saluti vnquam fuere. at quam diuersam medendi rationẽ secutus est Hippocrates, & Galenus, quam moderate, quam scienter deiectionem moliri soliti sunt? in morborũ principiis aut nulla, aut rara admodũ (vt appellant) minoratiua, frequentior apud eos erat sanguinis detractio, quæ onere naturam leuare, atque eam aptissimam reddere ad superuacanea expellenda; & si quis calor, in corpore subsit, statim extinguere potest. multa præbebant eius generis medicamenta, quę apposita maxime, atque accommodata esse dicuntur ad humores effundendos, si qui forte in corpore reperirentur crassiores, ac concretiores: plura ad vias recludendas, quæ vix, ac ne vix quidẽ aliquando à medicis patefiunt. medicamentum fere nullũ nisi materia ad maturitatem perducta perscribebant. natura vero concoquit, ac morbis medetur. huic tamen minime aliquando deesse debemus; ad hanc enim rem ars ipsa nostra exquisita est. neque vero censeo Hippocratem ea, dum historias ægrotorum litteris consignaret, de industria nos celasse, & occultasse; namque non est, cur hoc nobis in mentem veniat, præsertim cum de medicamentis præbendis alium illum habuisse sciamus ad scribendum, locum paratum. etenim nonne

» (vt cetera præteream) in ſuis ſententiis concocta me-
» dicamentis purganda conſtituit? atque alibi. inter ini-
» tia morborum, ſi quid medicina tentandum videre-
» tur, eo potiſſimum tempore tentari oportere tradit.
quam rem ſilentio minime præteriit Galenus. multa
quidem ille in commentariis librorum Hippocratis,
ſed plura multo in eo libello, Quos, & quando purga-
re oportet, quæſiuit. ſed vt hæc nunquam ſcripſerit, in
copioſa illa de iudiciis tractatione, cum occaſio poſtu-
lauit, ita illud indicauit, vt qui aliquam eius doctrinæ
partem teneat, de eius ſententia dubitare minime poſ-
ſit. vnde autem eius tam illuſtris laus emanauit, ad
quam non augurio, non diuinatione, ſed ex coniectu-
ra, quæ ex arte pendet, maxime peruênit? non aliunde
profecto quam ex functionum naturæ diligenti ob-
ſeruatione, qua innixus multoties ea ſe in re medica
vidiſſe teſtatur, quæ ceteris fieri nullo modo poſſe vi-
debantur. quamobrem cuncta illi ex animi ſententia
ſuccedebant, atque res euadebant, quo maxime vel-
let, ac cuperet; adeo vt non tam optatis ſuis fortuna,
quam natura reſpondere videretur. merito igitur in
hac arte infinitam quamdam laudem conſecutus eſt.
at plus medicamentis humores paullatim, ac ſæpe
mouendo, ac educendo proficimus. Quid? nonne o-
mnium artium finis is eſſe dicitur, vt quid natura ma-
xime quærat, inueſtigent, eamque adiuuent? atque
hanc ipſam artem maiores noſtri naturæ comitem, &
adiutricem, & conſeruatricem, non dominam, non
reginam, non aduerſatricem eſſe voluerunt. namque
diſciplina hæc Philoſophiæ pars ſemper habita eſt, vn-
de ſapientiæ profeſſores tunc maxime de rerum na-
tura diſputationes concludunt, cum ad rei medicæ
principia ventum eſt; ac Medicorum multi, præci-
pueque illi, qui hanc artem ſubtilius excoluerunt, artis
huiuſce exordia cum extremis Philoſophiæ conte-
xunt, atque coniungunt. quapropter rerum naturę co-
gnitio-

gnitionem nobis maxime vendicare debemus; illudque inprimis exploratum habere Medicum vnumquemque decet, naturam ipſam eſſe totam aptam ex ſeſe, eamque vnam cuncta per ſe facile conſequi poſſe; deinde illam ſumma prouidentia corporum noſtrorum curam ſuſcipere; poſtremo propria continuata, ordinataque quadam motione, ſi quid aliud, ſua omnia adminiſtrare munera. Hinc illa Lucretii,

Hæc igitur natura tenetur corpore ab omni;
Ipſaque corporis eſt cuſtos, & cauſſa ſalutis.

quare ſi Philoſophi, & Medici haberi volumus, eam non vexare, & exagitare, ſed ei parere, & quaſi obtemperare debemus. illius vero motus, ac proceſſus (quorum ſane impedita cognitio non eſt; nam & ferarum ipſarum motus, ac impetus; quo maxime pertineant, nobis obſcuri eſſe non poſſunt) eſſe debent leges, ac normæ, quibuscum cuncta, quæ agimus congruere, ac conſentire maxime debent; eas autem frangere, ac labefactare nefas eſt. naturæ enim, & morbi curſu vel inflexo, vel reuocato, iudicii dies immutatur. quod ſi ea nonnullorum temeritas inueniatur, vt naturæ functionibus impedimenta poſthac obiicere audeant, pœna ſunt maxima comprimendi, vt debitum ſupplicium nefarii homines aliquando perſoluant. at noſtra, quæ præbemus medicamenta leuiſſima ſunt: quaſi vero leuiora ſint, quam Mercurialis, Polypodium, Aloe, ac alia multa. & quaſi eadem illa temere adhibita à ſuis operibus naturam abducere, atque abstrahere prorſus non poſſint. quæ præterquam quod nullum ad aliquod moliendum liberum tempus naturæ reliquunt, cogunt etiam medicos in victus ratione inſtituenda minus ſapienter aliquando ſtatuere. nam cum natura medicamentorum viribus facile frangatur, coguntur (ne in apertam perniciem incurrant ægroti, atque ars in perpetuam infamiam adducatur) illos tunc maxime alere, cum minime edere ſoliti ſint, ac cum tenuiſſi-

mam victus rationem ipſe morbus poſtulet. etenim & media nocte aliquid ægrotis dari iubent, quod peſſimum eſt, atque in vigore morbi vti pleniori cibo patiuntur, quod capitale eſſe conſueuit. Hippocrates autem cum conſiſtunt morbi, tunc tenuiſſimo victu vti oportere tradit. præterea inter principia protinus ægrotos abſtinere iubent. At idem Hippocrates in tenuiori victu ſæpius offendere ægrotos cenſuit. neque vero eam tantummodo partem rei medicæ euertunt, quæ ad iudicia, & victus rationem pertinet, verumetiam totam artem ad turpem vſum, & antiquam exercitationem quandam reuocare conantur. etenim ſi is Medicus appellandus eſt, qui recte præclara iſta apozemata perſcribere didicerit, qui leuiora medicamenta commode vti poteſt, qui denique ægrotantibus præcipere nouerit, vt inter initia morborum, aut nihil aſſumant, aut certe exiguo vtantur cibo, difficilis ars noſtra non eſt, in ea perdiſcenda laborum plurimum non feremus; triduo enim, aut potius biduo hanc artem vnusquisque ſibi vendicare, & ſe Medicum eſſe audacter confiteri, & profiteri poterit. præterea vero ſi paucis his præceptis ars omnis continetur, ab hoc ſtudio minime reiiciendæ ſunt mulierculæ, quæ aliquando vſu peritiores multo ſunt, quam illi ipſi Medici, qui rerum naturæ cognitione rem medicam ſpoliare conantur. ecquid Empiricos quotidie maledictis oneramus grauiſſimis, ſi nos ipſi in Empiricorum aliquando caſtra confugimus. Sed horum conatus perditos (contra naturam enim aliquid contendere videntur) quoniam vindicare non poſſumus, omittamus, ſtudiaque vindicare noſtra, & cogitationes omnes naturæ regula metiamur, & noſtræ huius profeſſionis conditores, ac perfectores ſequamur, eorum ſcripta retineamus, præcepta obſeruemus, in medicamentis adhibendis (de hiſce enim

nim omnis noſtra erat inſtituta diſputatio) nunquam oculos à natura deiiciamus; hanc enim vnam ſpectat ars ipſa, hoc maxime à nobis poſtulat natura vt eius motus, ac functiones diligentiſſime obſeruemus; cuncta enim ſunt incerta, cum ſemel ab ipſa diſceſſum eſt. etenim natura lex quædam eſt, cuius auctoritate, nutuque quæ facienda ſunt, imperantur, prohibenturque contraria. quemadmodum homo in re ruſtica, atque adeo in ipſa generatione materiam adhibet, iungit, reuincitque; cauſſa vero ſuperior, vniuerſalisque formam dat, fingitque: ſic in re medica nos medicamenta recte, atque ordine imperamus, opportune præbemus, reliqua natura ipſa per ſe efficit. auxilia enim motus initium afferunt, reliqua natura per ſe ipſa præſtat. quare ſapientis Medici eſt hæc meminiſſe, cogitareque quantum ſibi ab artis præceptis permiſſum ſit; neque enim poteſt Medicus quem velit ſanare, ſed quem natura ſanum eſſe maxime voluerit; neque nos ſoli morbos curamus, verumetiam natura quæ in ſanitate ægrotis reſtituenda bonam, magnamque omnino ſibi partem vendicat; cuncta enim ipſa regit, ac moderatur, cuius tantummodo miniſter Medicus eſſe dicitur.

CAP. III; *Natura non illico iudicia exercet, ſed paullatim materiam aptiorem reddit; & quando crudiori materia iudicium conſequatur; atque ocioſe cuncta à natura expectanda non eſſe.*

ATQVE cum illa maxime animaduertenda, tum vero intelligendum, quod vt athleta non inter principia protinus aduerſariũ deiicere conatur, quod tum maxime fortis ac robuſtus ſit hoſtis, ſed principio

lenioribus veluti præliis eum tentans eius vires, quantum poteſt, infirmare conatur, victoriamque, qua via obtinere poſſit, ſedulo quæritat. deinde vbi colludendo eius vires ſatis expertum fuiſſe, ac paullulum imminuiſſe ſenſit, ita in illum inuadit, vt nõ amplius ex aſtu, ſed ex vi, ac robore victoriam ſperet: quare neruis omnibus contendens facile illum frangit, abiicit, atque ſuperat. ita natura in morborum veluti certamine non ſtatim in morbum incurrens cunctis pugnat viribus: nondum enim materia aſſecuta eſt maturitatem, neque facile emitti, ac profundi poteſt, ſed ipſam paullatim incîdit, tenuiorem facit. atque vbi eam paratam, & accommodatam reddidit ad effuſionem, illico vel ex aluo profundit, vel per vomitum, ac ſudores illam diſpergit, quæ accidere ſolent, cum morbus conſiſtit; eo enim tempore materia maturitatem aſſecuta eſt. quod ſi aliquando increſcente morbo, & materia nondum ad maturitatem perducta id eueniat, acerbioribus caſibus qui nunquam non imminent, ipſa fluctuet aliquando neceſſe eſt. atque ſi iudicium ſubſequatur, illud neque laudabile, neque perfectum eſt; quippe tunc maxime accidat, cum naturę leges omnes, ac iura labefactata ſint. euenit tamen aliquando, vt materia crudiori iudicium ſubſequi ſæpe ſoleat, vel cum ſanguinis ex naribus magno profluuio, quod & Hippo-
„ crates in ſuis commentariolis retulit: *Magnum ſan-*
„ *guinis ex naribus profluuium fere liberat*: atq; id in Methonis ægrotatione obſeruauit; aut ſudore, vt in mulieris morbo, quæ in littore lecto tenebatur, idem adnotauit Hippocrates; vel vtroque, vt in virgine Abderæ hiſtoria memoriæ mandauit. neque vero cuncta ocioſe (quod nonnulli faciunt) à natura expectanda ſunt; nam tametſi magnum quoddam illa ſit, atque adeo vnum, ſine quo ægrotis ſanitas reſtitui nullo modo poteſt, attamen incidere aliquando poſſunt caſus, vt maxima vis artis in curationibus nonnunquam elu-
ceat.

ceat. nos quidem hæc, quæ fieri ſolent, ac in vniuerſum ex arte litteris conſignari poſſunt, diligenter ac dilucide ſcribere conamur. at qua ratione eadem conſequi poſſimus, in re præſenti, atque à præſente monſtranda ſunt. antiquiſſimum vero prouerbium eſt Gladiatorem in arena capere conſilium; namque & aduerſarii vultus, & manuum, ac pedum motus, & ipſa denique corporis declinatio admonere ſolet, & quando, & qua ratione hoc, vel illud fieri debeat. quamobrem in re præſenti, atq; ex rerum copia conſulendum, ac deliberandum eſt; præſentis enim, ac vigilantis eſt occaſionem circũſpicere ac ante capere; quę quoniam in morbis maxime properat, danda opera eſt, ne oblatã aliquando amittamus. Quod notare facile, atque obſeruare poterimus in Hippocratis ægrotorum hiſtoriis, in quorum curationibus idem à naturæ præſcripto non diſcedens, vſus eſt tamen arte ipſa magiſtra, ac duce, à qua qui diſcedit, à natura ipſa diſcedit; & qui hanc contemnit, naturam, atque adeo Deum ipſum opt. max. minimi pendit. ſunt enim ars, & natura ita inter ſe connexæ, vt plane ſeparari non poſſint; ſemper pari, & eodem conſenſu aduerſus morbos ſe inuicem mirifice defendunt, ac tuentur. cõtingit aliquando, vt propter morbi malignitatem ſanguinis profluuium conſequatur, ei continuo agendi poteſtatem eripere debemus; ſæpe enim à liene, aut iecore ſanguis profluit ad guttur, qui & ſuffocat ęgrotantem, & ſanguis ſputum conſequitur: quem auertere, aut ad nares deriuare ex arte poſſumus. quæ vt facilius in vniuſcuiusque ægroti narratione obſeruare poſſimus, hæc prius cognoſcenda ſunt: principio in morbis, qui concoctionis difficultate, ac crudorum humorum copia excitantur, ab eiectionibus ægrotis auxilii nihil afferri certum eſt.

CAP. IV; *Morbi ſpecies perpendenda; an ſanitas, an exitium in eo expectandum ſit.*

DEINDE morbi ſpecies perpendenda eſt; nam febrium quædam ſolui ſolent; earum enim materia paullatim maturitatem cõſequitur, ac partim per obſcuros meatus digeritur, partim per vrinas emittitur, in quibus id, quod ſubſidet, & plurimũ, & craſſum eſt; humor enim, qui morbum concitabat, craſſior erat, & glutinoſior, febrisq; quæ cõſequebatur leuiſſima. quidam vero morbi afferunt iudicia, quæ febres acutas, perurentesque antecedere neceſſe eſt; etenim eorum humores tenues ſunt, mouenturque facile, naturam adoriuntur, vexant, exagitant, adeo vt repentinò aliquando excernantur: deinde animaduertendum an ſanitatem, an exitium ſub eo expectandum ſit; quæ enim in huiuſcemodi morbis iudicia ſperanda ſunt, cum ægrotos ex iis nullo modo elabi poſſe perſpiciamus; hoc facile cognoſcemus ſi robur naturæ cũ morbi robore conferamus; etenim ſi natura in morbis plurimum poterit, in propinquo ſanitas erit, ſin morbus valentior eſt, ægrotum infringit, ac plane perimit. præterea quæ natura expellit, maxime ſpectanda ſunt; ea enim maturitatem, & cruditatem oſtendunt, quod iam demonſtrauimus.

CAP. V; *Morbi tempus conſiderandum; in peſtiferis ſigna cruditatis, & mortifera conſequuntur, quæ cum concoctionis ſignis nunquam obſeruantur; & quæ animaduertenda, ne in ſignis notandis offendamus.*

POSTREMO morbi tempus ignorari non oportet; non enim humores quocunq; tempore maturitatem aſſequuntur. inter initia morborũ humores longe abſunt à maturitate; non enim natura ſtatim cõcoquit. cũ autem morbi increſcunt, maturitas inchoatur, cum conſiſtunt, abſolutam obtinẽt maturitatem. nam cum primum

primum humor in corpore inclusus tepefieri incipit, modice naturã tangit, functiones vero eius paullulum imminuuntur, tuncq; morbos inter initia esse intelligimus; cum vero calidior factus est, deteriores multo subsequũtur functiones, morbus autem increscit. vbi tandẽ exarsit, ægrotus acerbissime torquetur, morbus cõsistit. calor item naturalis, quem naturam esse multo ante diximus, insitaq; singulis partibus virtus illa, quæ mutat, ac alterat, inter principia humorem tumultuose minime adoritur; nondum enim hostis ardens infestus fertur in illam. cum vero morbus increscit, acerbius natura vexatur; cum consistit, tota acie contenditur; tunc enim maxime vtrinque furentes, ac violenti sunt impetus. ac quoniam calor, & natura in humorem inuadit tanquam morbi fontem, atq; originem, ab eo secernit, ac expellit, quod minus aptũ ad nutritionem est; atq; nos ex iis, quę reprobantur, ac extrudũtur, oculisq; nostris tandem exposita iacent, quę res intus gestę sint, plane intelligimus. ea vero, quæ exturbantur, ita perpendit Hippocrates, vt eorũ admixtionem maxime animaduertat; commiscentur enim aliquando ea, quæ vitio minime carent cum iis, quę commode alere possunt, quę naturę summam concoquentis, ac secernentis imbecillitatem significat. nõnunquam purgamenta cum optima materia confunduntur; qua in re naturam arbitratu suo materiam regere aperte ostendit; interdum alia, atque alia sunt, quæ & permiscentur, ac propelluntur, quæ naturam morbi potestatem minime exuperare, ac valetudinis spacium aliquod habituram demonstrat. atq; in morbis, qui sanitatem pollicentur, ea commode obseruamus; at in pestiferis incrementum morbi non agnoscimus ex maturitatis signis, aut cruditatis, verum totum in cruditatis & mortis signis consistit. mortifera enim signa hoc potissimum tempore elucent, ac post cruditatis signa mortifera statim apparent, quæ & magnitudinem

morbi,& ægrotum cum peste,ac pernicie ægrotare significant. status vero cognoſcitur,cum peſſime agitur cum ægroto, id eſt, cum morbus machinam ad naturam oppugnandam eam potiſſimum adhibet, quæ maxima eſt, atque ad eum locum peruenit, in quo natura victa,ac profligata diſcedit: in vnoquoque enim morbo ad id ſæpe peruenitur, quod in eo morbo peſtiferum, ac funeſtum eſt, vt & in II. Volumine diximus. huic conſequitur hecticus quidam affectus, qui ex morbi vi, ac diuturnitate in illis partibus procreatur, in quibus moram facit morbus. qui affectus cum in ceteris morbis appareat, tum vero in phrenitide plane elucet. victa natura eo in morbo incipit intemperies quædam,calidior ſcilicet & ſiccior,quæ per totum cerebri corpus diffunditur; exareſcit enim cerebrum,ac nerui plane extabeſcunt;quare ęgritudo cum vexatione non eſt.in latus alterum placide cubat ęgrotus, vocem vix emittit præ imbecillitate, manus tantummodo iactat; nõnulli ne oculos quidem attollunt. in omnib. vero morbis partes affectæ cum inareſcunt, ſymptomata, quæ mirifice cum iſtis congruunt,conſequuntur. at hæc fere curationem attingunt. illud non omittam, quod in omnibus fere morbis diuturnioribus ægritudo in naturam plane conuerſa eſſe videtur poſt ſtatum.illud quoque minime ignorandum, quod maturitatis notę cum longitudinis notis in vno, & eodem ægroto ſæpe reperiuntur.at mortifera ſigna cum indiciis maturitatis eſſe minime poſſunt.quæ periculum imminere oſtendunt ſigna, ſæpe conueniunt cum maturitatis notis. periculoſa autem ſigna in primo malorum indiciorum gradu collocata eſſe ignorare iam puto neminem.præterea euenire poteſt,vt materia in aliquam ſedem iampridem affectam depulſa, ac quaſi detruſa maturitatem capiat, morbi totius materia nondum concocta. atque vno, & eodem morbo accidere aliquando poteſt, vt vna, & eadem materia,
vno

vno & eodem loco exputrescente tota simul maturitatem nō assequatur; sed pars tantummodo quędam maturitatem percipiat, pars vero nō longe absit à maturitate. in heterogeneis humoribus quos aliquando febres continuas & malignas concitare videmus, sæpe notamus morbo minime senescente maturitatem alterius humoris vrinam repræsentare; alui vero sordes minime maturitatem assecutas fuisse; etenim fieri potest, vt qui in venis sunt humores conclusi, concocti sint; qui vero conuexum iecoris occuparunt, minime maturitatem perceperint. quæ res plerumque peritos etiam medicos fallit; qui cum materiæ pars quædam maturitatem ceperit, totam concoctam esse arbitrantur, ac frustra sperāt morbum depulsum esse, cum tamen acrius aliquando vrgere, ac premere ægrotantes videamus. sæpe euenit, vt inter initia morbi non admodum maligni sint, quod vires naturæ firmiores sint. at illis fractis, ac debilitatis, cum morbus intermittere visus sit, iterum inuadit, & defessa natura grauius multo affligit, quod mediis magis morbi temporibus accidere solet, atque cum adeo sine ratione morbus curatus est.

CAP. VI; *In ægrotorum historiis, & magnitudinem symptomatum, & tempora morborum desiderari.*

QVONIAM vero ad singulorum ægrotorum historias diligentius perpendendas paullo post veniendum nobis est, ante quoque sciri volo nullis in historiis & magnitudinem symptomatum, & tempora morborum non desiderari; etenim scribit Hippocrates ægrotum sudasse, at quantum sudarit, minime adscripsit. nigra per aluum descendisse memoriæ mandauit, at nigredinis quantitatem minime explicauit. linguam siccam esse litteris tradidit, at illius siccitas quanta esset, minime declarauit. possem sex[illegible]

[illegible] ...ccitatenu-

merare huiuſcemodi, in quibus quantitas plane deſideratur, quæ animo ſane comprehendi poteſt, at chartis cõſignari non poteſt. ea à medicis explicari debent diligentiſſime. nos quidē certe ſuo loco conati ſumus quantum potuimus ſymptomatum magnitudinem aperire, ac patefacere. Verumtamen non hæc tantum in hiſtoriis deſideratur, verumetiam tempora, quæ ſi comperta haberemus, ægritudinum ſtatus probe teneremus. Conſilia autem temporum ſunt, quæ in horas commutari videmus. ceteris in rebus Hippocratis fide niti tuto poſſumus; neque enim hæc gloriolæ ſibi parandæ cauſſa, aut decertandi ſtudio elatus (quem nunquam litigantem vidimus) ſcripſit; aut vt ſuam nobis ſententiam falſam præſertim, ac inueteratam probaret, quam nimium adamarit, ſed vt nos adiuuaret, nobis inſeruiret, difficultatibus denique multis, ac multis plane oppreſſos nos protinus leuaret.

CAP. VII; *Maturitatis, & cruditatis tres gradus conſtituit.*

ILLVD preterea obſeruandum, quod tres ſunt (quod & antea demonſtrauimus) maturitatis gradus; qui à nobis diligenter ſunt cognoſcendi. primus eſt imbecillus, aut debilis, ſecundus manifeſtus, tertius perfectus, atque abſolutus. primus autem gradus principii, II. incrementi. III. impetus, ſeu ſtatus terminos perſcribit. his autem diſiuncti maxime, atq; contrarii ſunt tres cruditatis gradus. I. in quo leuis, & obſcura in iis, quę excernũtur, cruditatis ſignificatio facta eſt. II. cum ſigna cruditatis minime dubia perſpiciũtur. in III. perfecta, atque ſumma cruditatis indicia nullo negocio agnoſcuntur. quos quoniam in ſudoribus, vrinis, alui ſordibus, ſputis ſuperiori libro diligentius perpendimus, longiorem de illis orationem nunc non ſuſcipiemus. illud minime prætereundum, qđ febres, dolores, vigiliæ, difficultates reſpirationis, ſitis, & ſi qua alia

ſunt, quæ maturitatis neutra ſigna paullo ante eſſe probauimus, ſi in morbis paullulum remiſerint, ſigna debilis maturitatis exiſtunt. quod ſi ægroto in dies melius ſit, aperte maturitatis indicia ſunt. quod ſi cuncta illa depulſa ſint, perfectam, atque abſolutam maturitatem humorum oſtendetur. item in cruditatis gradibus, ſi cuncta increſcant primi gradus cruditatis nota erit: quod ſi in dies magis, ac magis ægroti crucientur, ſecundi gradus ſigna præcurrent: quod ſi peſſimi ſint, tertii cruditatis indicia apparebunt.

CAP. IIX; *Ægroti* XIV. *qui in priore libro Hippocratis De morbis vulgaribus continentur.*

1 IN Philiſci igitur ægritudine inter principia ipſa acerrime pugnatum eſt; quippe cum hoſtes, in quorum poteſtate omnia breui futura erant, illico exardeſcere inciperent: humores vero vitrei, ac maligni, quos natura imbecillior ad maturitatem perducere minime poterat: at omnibus viribus contendit natura. quamobrem inter morbi initia ſudor conſecutus eſt, qui nihil omnino profuit, ac I. cruditatis gradum tenuit. ergo nox conſecuta eſt plena laboris, & moleſtiarum: ſecunda autem die maior fuit cõtentio: tertia die ſiquis minus validum morbum fuiſſe ſuſpicaretur, quod febri fere ægrotum caruiſſe dicat, is longe mea quidem ſententia fallitur; neq; enim in iis, quæ ſine ratione ægrotum leuant, fidendũ eſt; firma enim, ac ſtabilia eſſe non ſolent, neq; diutius perdurare videmus. quare nocte aduentante febris repetiit, ſitis acceſſit, lingua aridior reddita eſt, vrinæ nigrę profluxerũt: nox acerbitatis multum attulit; ægrotus præterea vigilauit, deſipiuit, quæ II. cruditatis gradum demonſtrant; ſunt enim aperta cruditatis indicia: quinta variæ vrinæ profluxerunt, quæ habebant quædam rotunda, &

geniturę similia. ea si in imum delata fuissent, iudicium optimum fortasse afferre potuissent: namque in Perintho id aliquando euenisse testatur Hippocrates II. De morbis vulgaribus: verumtamē quoniam non subsidebant, cum naturam abiectam iacere significabant, tum vero varios, multiplicesque humores in corpore inclusos, ac pæne dominantes demonstrabant. noctu molestię plurimum, ac acerbitatis tulit, parum dormiuit, aliena loquebatur. nigra quoque vrina reddita, quę mortem iam iam impendere significabat, ac in tertio cruditatis gradu collocatur. quare VI. die vitam cum morte commutauit. exitumque morbus habuit, qualem in magna humorum varietate & copia, natura imbecilliori, maxima lienis inflammatione certo coniicere poteramus.

II. Silenus multis crudioribus humoribus abundabat, atque affluebat, qui biliosiores, ac crassiores erant, qui inflammationem præcordiorum concitarant. prima die venter reddidit biliosa, mera, spumosa, colore prædita, & multa. huc accessit vrina nigra, quæ etsi subsideret, alterum tamen cruditatis gradum indicat. hæc subsequebatur sitis, & vigiliæ. II. dies apertius multo secundum cruditatis gradum ostendit; namque aluum excreuisse tradit plura, tenuia, & spumosa: III. vero dies, in qua tenuiora, & subnigra edidit, vrinæ item processerunt turbatæ, & nigræ, tertium cruditatis gradum attingit; namque huiuscemodi vrinæ naturam victam esse ostendunt, & in propinquo mortem. consecutæ sunt vigiliæ, & delirium. V. quoque cum aluus profudit mera, biliosa, leuia, & pinguia, victam & superatam naturam demonstrat. ac morbi statum indicat; pessimo enim in loco ægrotus erat, namque colliquationis signa sunt, atque eundem cruditatis gradum ascendunt; vrinæ tenues naturam nihil iam consequi amplius posse demonstrant. cuncta autem, quæ consequuta sunt signa mortem potius, quam

quam cruditatem indicant. iactatio, ſudores circa caput, extremitates frigidæ, ac liuidæ, ſi cetera ſigna mediocria fuiſſent, neutra forent indicia. at cum cruditatis ſignis peſtifera ſunt.

III. Hic ægrotus, qui humoribus bilioſis, & crudis mirifice abundabat, principio exigua in ſpe traxit animam; etenim ſigna, quæ natura obiiciebat, tertium prope cruditatis gradum plane aſcendebant; aluus enim bilioſa, tenuia, & multa eiecit. vrinæ erant nigræ, tenues, hiſce acceſſerunt vigiliæ. V. die venter reddidit nigra, quæ eundem aſſequebantur gradum. his adiungebatur ſurditas, delirium, atque extremorum membrorum frigiditas. hæc ſigna ſuperiora multo certiora reddunt, ac (vt ita dicam) ſtabiliunt. VII. vero affulſit minime obſcurum maturitatis ſignũ, quod tantum habuit ponderis, vt ea, quæ cruditatem atque adeo mortem paullo ante oſtentarent, ad ſalutem facile conuerſa ſint. principio vero delirium ſublatum eſt, quod ſubobſcurum maturitatis indicium fuit. deinde ſomnus acceſſit, vnde maturitas imbecillior apertius patuit; atque ea in re apparuit ſomnum non vulgarem, atque adeo præcipuam maturitatis notam eſſe, præſertim in phrenitide. Poſtremo vrinæ melioris coloris, in quibus pauca quædam ſubſidebant, proceſſerunt, quæ alterum maturitatis gradum oſtendebant, cunctaque plane explicarunt. quamobrem die IX. ſudor atque iudicium conſequutum eſt, at minime perfectum; etenim tametſi vrinæ probe ægrotum tutatæ ſint, attamen perfectæ, atque abſolutæ maturitatis indicium eſſe non poterant. nihil igitur mirum, ſi morbus recruduerit, atque XVII. perfecte iudicium ſubierit.

IV. In Phileni vxoris morbo haud magnum naturæ cum morbo certamen fuit; namque cum bilioſis, crudis, & craſſis humoribus afflueret, inflammatioque loca occupaſſet, natura vero à viribus infirmior

esset, concoctio vix vnquam instituta est. pessimos autem morbos huiuscemodi humores concitare solere nouum nõ est. inter ipsa morbi initia signa extiterunt, quæ primum cruditatis gradum significant; namque scribit somnum minime cepisse, ac siti maxime vrgeri. hæc autem & morbũ malignum ostendunt. vrinæ vero tenues, & decolores aperta cruditatis indicia sunt. extrema frigida summam naturæ imbecillitatem prænunciant, præsertim inter morbi initia. hoc vero tertium cruditatis gradum plane facit. delirium deinde consecutum est; postremo distensio, quę pessima sunt, præsertim in tanta naturæ imbecillitate; vrinæ, quales iumenta edere solent, naturam quidem aliquando minime cessare demonstrant, at prę imbecillitate horum humorum maturitatem ne inchoatam quidem esse.

v. Epicratis quoque vxor febri acuta correpta est. eam excitarunt crudi, & biliosi humores, qui in locis consederunt. principio aluus pauca, biliosa, tenuia extrudit, quæ manifestam cruditatem indicarunt; secundumque illius gradum ascendebant. huc accesserunt vrinæ tenues, nigræ, quæ & certamen, & morbum periculosum esse testantur. VI. die delirium. VII. vigiliæ, sitis, consecuta sunt. at XI. primũ sudor, quod obscurum maturitatis signũ fuit, deinde vrina colore meliori prædita, in qua multa subsidebant, salutem plane attulere. hæc vero aperta maturitatis indicia sunt. quoniam vero humores tantummodo maturitatem capere incipiebant, diuturniorque morbus futurus erat, XIV. iudicata non ęst, sed illud tantum periculo omnino carebat. XV. enim vrina processit crassa, in qua candida quædam descendebant, quæ aperte concoctionis nota est. quæ vero consequuta sunt, iactatio, vigiliæ, delirium, sitis, quamuis cruditatis signa haud vulgaria sint; quoniam tamen antea certum, & illustre signum illuxit, quod ceteris antecellit, pauca & magna, multis, & minimis præferri debent, quod alio in loco scri-

co ſcripſimus. quare ea magnæ editæ pugnæ ſigna ſunt. XX. vero die vrinæ craſſæ, turbidæ, in quibus nihil ſubſidebat, magnum naturæ certamen, & haud obſcuram (vt ita dicam) agitationem ſignificabant. quę poſtremo victrix hoſtes egregie fudit, fugauitque. XVII. in vrinis aliquid deſcendebat.

VI. Magna quidem febri occupata fuit Cleonactis. at materia, quæ illam concitabat, erat alia, atque alia. bilioſa certe, ac calidior minime erat. in hoc morbo ſtatim inter initia maturitatis notæ apparuerunt; namque & ſomnum capiebat, ſiti minime vrgebatur, probe appetebat; quæ obſcuræ maturitatis ſigna ſunt. iam vero vrinæ optimo colore præditæ aperte quidem maturitatis indicia ſunt, ac ſecundum maturitatis gradum aſcendunt. at quoniam in illis nihil omnino ſubſidebat, morbi diuturnitatem demonſtrarunt. XI. ſubrubras vrinas edidit, in quibus deſcenderunt rubra quædam quæ morbum quidem ad ſalutem conuerti demonſtrant; at diuturniorem ſignificant; quod & antea teſtimonio quoque Hippocratis demonſtrauimus. LX. vero vrinæ profluxerunt optimæ; ſubſidebat enim in eis album, & leue, quod abſolutam maturitatem oſtendit. CXX. autem, in quo morbus iudicium ſubiit, quod ſubſidebat, erat rubrum, & leue, quæ ſubſidentiæ forma eiuſmodi eſt; vt in omnes partes valeat, ex eaque cuncta plane pendeant. vrinæ autem variæ ab humorum varietate prodibant.

VII. Metho absque materiæ maturitate iudicium ſubiit: febris vero excitata eſt à bile, & ſanguine; aluus enim extruſit tenuia, bilioſa, ſubrubra. vrina ſubnigra; in qua quoque ſubnigra pendebant, quæ manifeſtam cruditatem oſtendebant, atque in ſecundo illius gradu collocantur. die vero V. vigiliæ, delirium, vrinæ tenues, ſubnigræ proceſſerunt, quæ eundem cruditatis gradum tenebant.

IIX. In hoc omnes cruditatis gradus ordine obſeruauimus; principio enim delirium, deinde vigiliæ: iactatio primum cruditatis gradum ſignificat, vrinæ vero crudæ ſecundum faciunt. nigræ cum extremis corporis partibus frigidis,& ſubliuidis abſolutam cruditatem demonſtrant, ac tertium gradum aſcendunt. febris erat cum inflammatione ſimarum partium iecoris.

IX. Natura in hoc ægroto ſecunda die plane concidit, propter maximam humorum bilioſorum, malignorumque copiam.

X. Clazomenius febri laborauit acuta, maligna; materia enim, quæ morbum excitauit acrior, & crudior erat, ad pituitam vergebat; dextra præcordia corripuerat. ſymptomata deinde acceſſerunt, quæ malignitatem oſtenderunt, delirium, vigiliæ, lingua arida. prima cruditatis nota vigiliæ fuerunt, quæ inter ipſa morbi initia conſequutæ ſunt, deinde deiectiones multæ, tenues, aquei coloris, poſtremo vrinæ tenues, at optimo colore præditæ, in quibus nihil ſubſidebat. hæc vero ſecundum cruditatis gradum aſcendunt; aperta enim ſigna ſunt. verumtamen vrinæ ſanitatem pollicebantur, tempusque maturitatis proferebant. die vero XVI. vrina edita eſt craſſior, in qua erat aliquid ſubſidentiæ, quod maturitatis apertum indicium fuit. XVII. iterum tenues ferebantur, quod maturitas omnino abſoluta non erat. quare XX. humores à natura depulſi non ſunt; quoniam parati, & accommodati ad effuſionem minime erant. crurum vero dolor concitatus eſt à bona, magnaque humorum illorum parte, qui ſua acrimonia naturam vehementius vexarunt, ac lacerarunt, quorum ſtimulum cum diutius ferre natura non potuerit, ad crura eos tantiſper exturbauit, dum XXX. ſuperior omnino facta per aluum omnia egregie extrudere poſſet.

XI. Secunda ipſa die facile intelligimus ægrotum hunc

hunc ex præcordiorum inflammatione cum peſte, ac pernicie ægrotaſſe; etenim vt omittam ciborum faſtidium, iactationem, vigilias, vrinas turbatas, in quibus nihil plane ſubſidebat, materiæ manifeſtam cruditatem ſignificant, ac naturæ ſummam infirmitatem: hæc cum tertio quoque die continuarent, abſolutam indicant cruditatem, & tertium gradum attingunt. his acceſſerunt ſudor frigidus, qui ex toto corpore effuſus nihil plane profuit, lingua perarida, vrinæ oleoſæ, quæ naturam plane concidiſſe, & morbi ſummum impetum demonſtrant. humores erant bilioſi, & craſſiores.

XII. In hoc quoq; ægroto aperte admodum cruditatis ſigna obſeruamus; etenim prima ipſa die vrinæ rubræ, craſſæ, in quibus nihil plane ſubſidebat, profluxerunt, quæ manifeſtam materiæ cruditatem indicant. V. de vero die oleoſa edita ſunt, quæ naturam, plane oppreſſam eſſe, & morbi ſtatum teſtantur. eadem vrina cum VII. quoque die deſcenderit, minime ſperandum erat naturam poſſe ſe amplius erigere. nigrorum vomitus perniciem appropinquare, atque adeo inſtare demonſtrat. iocinoris inflammatio erat à bile potiſſimum concitata.

XIII. Mulier hæc febri laborauit à bile excitata, atque alio morbi genere, quod ad neruos maxime pertinebat. febris autem cum nondum eius materia perducta eſſet ad maturitatem, ſudore iudicium ſubiit. ſic & Metho morbo maxime crudo ſanguinis ex naribus profluuio ad ſanitatem perductus eſt. iudicium vero certaminis plenum fuit; nondum enim materia aſſecuta erat maturitatem. cruditatis ſigna primum ſubobſcura ſubſecuta ſunt, vt vigiliæ, deinde minime ambiguæ; aluus bilioſa, pauca, mera reddit. vrinæ tenues non boni coloris deſcenderunt. V. ſudor febrem ſubmouit. morbus autem, qui ad XI. vſque inhæſiſſe videtur, validior eſſe minime poterat; illud argumento

est, quod eodem die, quo cum rigore repetiit febris, vomitu, ac sudore egregie depulsa est. à die vero V. ad XI. vsque symptomata, quæ consequuta sunt non ad venas, & arterias, sed ad neruorum genus maxime pertinebant.

XIV. Salus ex natura nata est, in qua vires fuerunt firmissimæ; etenim cum maligna esset febris, quæ ex sanguine bilioso genita est, ægritudoque cum haud vulgari corporis vexatione esset, sopore ægrota vrgeretur, de mente deturbata esset, quæ obscuram cruditatem ostendebant, vrinæ quoque tenues ederentur, quæ manifeste materiæ cruditatem indicarent: iudicium VII. morbus subiit, dum scilicet incresceret ob morbi vexationem, ergo merito repetiit: atque vbi maturitatem consecuta est materia, id est, vbi in vrina subsedit album, & leue, sudor morbum omnem egregie depulit.

CAP. IX. *Tertii Hippocratis Epidemiorum libri ægroti* XII.

I PITHION & febri, & humorum biliosorum copia haud sane multa, quæ thoracis eam partem, quæ cum vltimis ceruicis vertebris connectitur, insedit, laborauit. principio notantur signa obscura cruditatis febris, mens turbata, somni tenues. deinde aperta, pauca, & mera per aluum reddita. vrina tenuis nullo colore prædita, quæ suspensiones habebat nebulosas, quæ nec bona, nec mala, sed media à me iampridem dicta est. materia, quæ pectus occupauit VI. die maturari cœpit, nam subrubra fuerunt sputa. X. cum materia esset assecuta maturitatem, sudore morbum expulit. at febris depulsa minime est; vrina enim tenuis adhuc ferebatur, quæ morbi diuturnitatem demonstrabat. quare abscessu κατ' ὀκρονὴν XI. morbus iudicium exercuit.

II. In

11. In iecoris inflammatione, qua correptus fuit Hermocrates cum febri, quæ tandē in marcorem torridum desiit. principio signa notantur obscura cruditatis, vigiliæ scilicet, deinde aperta, vrinæ tum rubræ, in quibus nihil omnino subsidebat, tum vero tenues, quę morbū longius producebant: at natura morbi vim diutius sustinere non potuit. XI. die cuncta leuiora reddita sunt. ad id, cum nondum materia maturitatem esset assecuta, accidit. horum ergo fide niti tuto minime possumus, præsertim si Hippocrati credimus. quare reliqua accurate perpendamus. vrina fertur primo crassior, quæ naturam cuncta temere interturbare significat: deinde subrubra, cui opponitur valde rubra, quæ humorum cruditatem demonstrat. horum media est rubra: at subrubra maturitatis tempus longius habet. natura vero morbo grauiori adeo oppressa erat, vt se XIV. plane erigere non potuerit. & maturitas ne inchoata quidem est. XVII. vero febris recurrit, non quod calor innatus auctus tunc fuerit, sed quod putredo magis incenderetur. illud argumento est, quod vrinæ tenues profluxerunt. XX. in quo maturitatem saltem instituere debebat natura, morbum effugisse visus est Harmocrates non modo sine maturitatis signis, verumetiam sine sudore, qui crudioribus etiam humoribus si subsequatur, febrem (quod & antea nos animaduertimus) aliquando tollere solet. quapropterea deinceps consequuta sunt signa, quæ naturam plane concidisse demostrarunt. ciborum fastidium, lingua arida, sopor, & quod denique siti minime cruciaretur. ex ciborum summo fastidio tristissimum eius tempus cognoscimus; cum enim iecur morbus occuparit, quod principium naturalis animæ est, quæ quatuor virtutibus naturalibus prædita est, quæ & nutrit, & auget totum corpus, nullo alio ex indicio, quo in statu res esset, cognoscere melius possumus, quam hoc, quod

proprium huiusce virtutis est. hoc idem profecto in siti plane extincta agnoscitur. XXVII. tandem è vita discessit.

III. Naturæ vis, ac virtus & ad maturandos & ad propellendos humores biliosiores, & crudiores probe suppetebat. II. die erant aperta cruditatis indicia. vrinæ tenues cum variis suspensionibus, veluti farina crassior, quæ diuturnitatem ægritudinis in morbo, qui ad salutem conuertitur, significat. III. nigra aluus reddidit, quæ pestifera sunt. in vrinis vero, quod subsidebat, liuidum erat, quod secundum cruditatis gradum tenet. IV. sudor circa caput, & clauiculas est ortus, qui vt pessimus minime sit, inutilis certe dicendus est. his accesserunt vigiliæ, & delirium. IX. iudicium attulit, at imperfectum; morbum enim omnem plane non depulit. iudicium iterum factum est XI. at vrinis crudioribus, quamobrem infidum fuit; illud argumento est, quod morbus XIV. recurrit. vrina erat turbata, quæ imperfectam maturitatem ostendit. aluus nigra stercora deiecit. XVI. vrinæ tenues. XVII. peiora. XXIII. iudicium editum est, at obscurum; etenim sine humorum emissione, atque abscessibus factum est. XXIV. inchoata maturitas est; vrinæ enim descenderunt tenues, verumtamen in illis aliquid subsidebat. XXVII. eædem vrinæ profluxerunt. cetera vero, id est, somnus, alui deiectiones, iactatio, sitis, dolores, difficultas respirandi mitissima acciderunt, quæ secundum maturitatis gradum tenent. quamobrem XL. morbus optabilem habuit exitum. sudor enim malum plane abstersit.

IV. In hoc ægroto ne inchoata quidem vnquam materiæ fuit maturitas. II. die tenues vrinæ, & pellucidę ferebantur; quoniam bilis caput obsedit, non quod cruditatem aliquam materiæ demonstrent, quæ in capite continetur; illud argumento est, quod Hippocrates illico subdit, circa meridiem mente motus est.

V. Con-

v. Concitata ex bile febre IV. die primum obſcura notantur indicia maturitatis, ſomnus ſcilicet. deinde minime dubia, vrinæ tenues, & bonis præditæ coloribus cum ſuſpenſionibus nebuloſis, quæ materiam capere indicant maturitatem. quare VII. in rigorem incidit, ſudauitque per totum corpus. hoc vero iudicium infidum fuit; etenim morbus IX. repetiit, quo tempore vrina deſcendit optima. namq; optimo colore & antea prædita erat. atque in ea ſubſidebat aliquid. ægritudo omnino depulſa non eſt, quod natura imbecillior moram iudicio aliquam interpoſuerit. XX. vero perfectum iudicium editum eſt.

vi. Nullam omnino in Eurinactis F. maturitatis notam obſeruamus; vrinæ enim ferebantur paucæ, tenues, bonis coloribus minime præditæ. præterea bilioſas alui ſordes, paucas, puras eiecit; ea poſtremo, quæ ex capite defluebant, pauca erant, tenuia, acria, quæ tertium cruditatis gradum tenent. quod vero haberet ad omnes cibos offenſionem, ac nihil ſitiret, id peſtiferum eſt, ac aduerſiſſimum morbi tempus indicat; ſignificat enim naturam vires omnes plane amiſiſſe, febre ardente vexabatur.

vii. Deſiderantur multa (quantum ex Galeni quoque commentariis coniicere poſſumus) in Aginoſæ hiſtoria; namque de vrinis, vomitibus, alui profluuio ne verbum quidem; quę Hippocratem minime omittere ſolitum eſſe Galenus ipſe teſtatur. tumor durus erat, hoc eſt minime maturus, qui triduo vocem concluſit, ſpiritum coarctauit, atque omnino compreſſit. III. vero die malum hoc mulierem ſtrangulaſſet, niſi virium firmitate omnino præſtitiſſet.

iix. Crudioribus humoribus & bilioſioribus maxime affluebat adoleſcens iſte, atque in morbo maxime acuto nullam maturitatem aſſecuti ſunt; namque cum in ventre, & venis coaceruati illi eſſent humores, neutro in loco maturitatem naturam inſtituiſſe vi-

demus. aluus enim multa, tenuiaque expreſſit: vrinæ ferebantur tenues, & ſubnigræ, quæ tantum abeſt, vt maturitatem ſignificent, vt plane mortiferæ ſint. his accedebant, quæ cunctis febribus communia ſunt, vigiliæ, ſitis, iactatio, delirium, ciborum faſtidium, ſudores pauci, qui neque morbum depulerunt, neque id præſtiterunt, vt ægrotus facilius morbum ferret. ea vero ſummam humorum cruditatem patefaciunt.

IX. Mulier hæc, quæ voluulo correpta eſt, deiecit cruda, tenuia, pauca, quæ morbi ſummam cruditatem oſtendunt. huc accedebant vigiliæ, omnium rerum ſatietas, ac faſtidium; vis autem omnis morbi in inteſtina conuerſa eſt.

X. Materia maligna erat, atque maturitatem nunquam cepit. malignitatis ſignum eſt ægrotantis faſtidium. cruditatis vero notæ vigiliæ, alui ſordes multæ, tenues; nec non vrinæ paucæ, tenues, quæ perpetuo in toto morbi ſpatio deſcendiſſe teſtatur Hippocrates. febri ardente correpta eſt.

XI. Nulla in hac quoque ægritudine conſecuta eſt humorum maturitas; etenim primo ipſo die notantur ſigna obſcura cruditatis, vigiliæ, & coma. II. manifeſta; etenim venter pauca, tenuia, mera, nigra extruſit. vrinæ paucæ, tenues, ſubnigræ deſcenderunt, quæ tertium cruditatis gradum patefaciunt. huc accedit ſudor caput tantummodo madens, paucus & frigidus, atque partium extremarum frigiditas, & liuiditas, quæ mortem quoque illico impendere prænunciauit. ſanguis autem bilioſus retentus eſt, qui morbum excitauit.

XII. A viribus quidem in hac tertia muliere natura firmior erat, at tanta fuit morbi magnitudo, vt eius vim ſuſtinere minime potuerit. inter ipſa morbi initia ſigna apparuerunt obſcura cruditatis, vigiliæ ſcilicet. manifeſta deinde conſecuta ſunt; namque ſcri-

ptum

ptum reliquit venter tenuia, paucaque eiecit. tertium cruditatis gradum materiam assequutam fuisse testatur sudor paucus, frigidus, caput tantummodo obsidens, extremarum partium summa frigiditas, vomitus virulenti, & fœtidi, singultus. huc accesserunt iactatio, delirium, fastidium, sopor, quæ & humorum malignitatem (vt & paullo ante notauimus) mirifice patefaciunt. sanguis erat biliosus, virulentus; etenim sanguis, quem effundere singulo quoque mense solent mulieres aliquando biliosus, nonnunquam melancholicus, haud raro virulentus, sæpe pituitosus, aut mediocriter bonus, nunquam optimus est.

Cap. X; *Tertii Hippocratis Epidemiorum libri ægroti* XVI.

I PARIVS febri acuta correptus, quæ excitata est ab humoribus biliosis, ac crudis, qui maligni erant, nullam vnquam maturitatem vidit. principio vigiliæ, & sopor hominem occuparunt, quæ primum cruditatis gradum ostendunt, deinde aluus, cita semper fuit, quæ vel biliosa, & humida expulit, vel feruida, crudaque; vrina vero vel alba, vel mala, quæ secundum gradum, atque adeo tertium attingit. hisce accessit ciborum fastidium, quod & penitus euersam eius fortunam ostendit; & malum illud perpetuo eum vexauit.

II. Cuncti cruditatis gradus in huius quoque mulieris ægritudine aperte admodum notantur. febri laborabat acuta à sanguine melancholico, prauo concitata; menstrua enim post partum plane suppressa sunt. cruditatis vero minime perspicua signa sunt vigilię, coma, delirium, aperta primum citata aluus, quæ sordes multas, tenues, atque aquosa bile permixtas extrudebat; deinde vrinæ aquosæ, multæ, malæ, quæ & summam cruditatem patefaciunt. vbi vero materia pectus

occupauit, quæ ex pectore expuebat, perpetuo humidiora erant, hoc eſt crudiora.

III. Facilius multo reperiuntur hic mortifera ſigna, quam cruditatis notæ; namque cum iſte multitudine crudorum humorum, ac bilis afflueret, II. die plane defecit. X. quidem expirauit, at multo ante natura à morbi grauitate minime obſcura plane fracta eſt.

IV. Hunc non phrenitis ad interitum duxit, ſed humores virulenti, ac ſane venenum iugularunt. fruſtra igitur quæremus maturitatis notas, cum hoſce humores maturitatem aſſequi minime poſſe antea demonſtrauerimus.

V. Dies maturitatem affert, at ſpatium naturæ nullum datum eſt. namque antea iſte extinctus eſt, quam maturitas inſtitui potuerit. II. enim die perire cum deberet, ad tertium vitam prorogauit; eo enim die mortifera ſigna notantur, non tertio. quare præter ſpem vitam produxit.

VI. Secunda die maturitatis notas obſeruamus manifeſtas. principio ſomnus acceſſit, ciborum faſtidium imminutum eſt, deinde vrina profluxit craſſior, quæ magis, ac magis ſubſidebat, quæ natura materiam arbitratu ſuo moderari demonſtrat. III. minor febris reddita, vrinæ editæ ſunt multæ, & concoctæ, in quibus multa ſubſidebant. his acceſſerunt ſomnus, & tranquillus ægroti ſtatus. obſcuræ vero maturitatis
„ indicia fortaſſe notantur prima ipſa die, *cum vrinas*,
„ inquit, *ferri turbatas*, in quibus fortaſſe aliquid ſubſidebat, at id obſcurum erat, ac vix percipi fortaſſe pote-
„ rat. quamobrem, II. *die* ſubdit, *magis ſubſidebat ali-*
„ *quid*: quaſi vero & prima ipſa die aliquid in ea ſubſideret.

VII. Huiuſce virginis caſus nos admonet, vt maturitatis ſigna minime expectemus in ea ægritudine, quam vel ſanguinis è naribus profluuium depellit, vel ſudor

ſudor abſtergit, vel vtrumque accidit, quod in huius morbo euenit. etenim cum hæc mulier haud vulgari humorum copia, atq; affluentia vrgeretur, vrinæ nunquam non deſcenderunt tenues, & bono colore præditæ, quæ obſcuram materiæ demonſtrant maturitatem. nam abſolutam quî poſſunt, cum diuturniorem morbum ſignificent? poſt VII. vrinarum ne meminit quidem Hippocrates, vel quod tales perpetuo editæ ſint, vel quod cum obſeruaſſet naturam & ſudoribus & ſanguinis profluuio morbum plane euincere, de vrinis minime laborauerit.

IIX. Perſpiciuntur in hoc ægroto gradus omnes maturitatis. in lateris dolore prima cruditatis ſigna fuerunt febris, tuſſis ſiccior, vigiliæ, ſitis; deinde obſcuræ maturitatis notæ affulſerunt. XI. febres ſcilicet leniores. quæ expuebat, liquidiora fuerunt. manifeſta vero XVII. in quo pauca, & matura expuiſſe tradidit XXVII. abſolutam morbus habuit maturitatem; extruſit enim multa matura; ſomnum cepit, ſiti amplius minime affligebatur.

IX. Reperiuntur in hoc quoque ægroto ſigna cruditatis primum, deinde & maturitatis. cruditatis ſigna ſunt, vrinæ tenues, nigræ, iactatio, febris incrementum, delirium. maturitatis vero obſcura ſigna ſunt, febris remiſſio, quod à mente inops omnino non eſſet, quod minime ſurdus. aperta vero XXC. notantur, in quo deſcendit vrina optimo colore prædita, in qua plura ſubſidebant. ad C. vero vsque maturitas perducta eſt, qui iudicium attulit.

X. Crudioribus ac biliofioribus, hic affluebat humoribus. cruditatem ſignificat febris, anxietas, vrinæ tenues, & nigræ, quę & malę ſunt. maturitatis imbecillæ notæ ſunt dolores leniores redditi; manifeſtæ ſudor multus, qui febrem plane non diſcuſſit, quoniam vrinæ ferebantur albæ & craſſæ, in quibus nihil ſubſidebat. aperta indicia XXIV. apparuerunt; nam vrinæ

ſemper albæ quidem editæ ſunt, vtpote, quæ humorem morbum excitantem repræſentarent: at in iisdem multa ſubſidebant, quibus ſudor copioſus, calidusque acceſſit, qui morbum abſterſit.

XI. Mulier hæc cum plethora laboraret propter menſtrua ſuppreſſa, iudicium ſubiit, antequam materia eſſet aſſecuta maturitatem, quod & accidere poſſe, & ſolere, ſupra quoque notauimus; namque febris, vigiliæ, ſopor, dolores, conuulſiones cruditatem humorum demonſtrant. at quoniam magnus morbus erat, ſudor morbum omnem tollere minime potuit; magni enim morbi magna naturæ auxilia deſiderant, quod in IV. de iudiciis demonſtrauimus. quamobrem menſtrua copioſius paullo poſt iudicium prouenere, quæ morbum plane abſterſerunt.

XII. Sudor, & ſanguinis profuſio copioſior morbum remouerunt. tertium quoq; illud acceſſit, quod iudicium mirifice tuebatur, menſtrua ſcilicet, quæ tunc primum proueniſſe teſtatur; vrina vero tenuis, & pauca morbi cruditatem aperte demonſtrat.

XIII. Maturitas in huiuſce ægritudine ne inſtituta quidem eſt. principio vigiliæ, ſitis, ſopor vrgebant: deinde vrinæ tenues deſcenderunt, his acceſſit delirium, obliuio, extremarum partium frigiditas. hæc vero manifeſtam cruditatem oſtendunt: perfectam vero, & abſolutam, quæ ſubſecuta ſunt. etenim aluus aliquando multa bilioſa, mera, cruda reddidit, nonnunquam nigra, pauca, virulenta, pinguia, mordacia, cruda fudit. modis vero omnibus morbus naturam vexabat. haud raro lacti ſimillima. iecoris obſtructio ex crudis, ac bilioſis humoribus erat.

XIV. Nullam hic quoque morbus aſſecutus eſt maturitatem. febris ex ſanguine melancholico concitata fuit, nec non vteri ſuberat inflammatio. vrinæ ferebantur primo quidem tenues, deinde oleoſæ, quæ naturæ ſane perditæ, ac nullæ ſunt. aluus multa, tenuia, & tur-

& turbata expulit. XIV. accesserat extremarum partium frigiditas, atque vrinæ suppressæ sunt.

XV. Phrenitide, ac melancholia correpta Dealcis vxor fuit: quamobrem symptomata consequuta sunt vtriq; caussæ maxime congruentia. quod vero ad maturitatem pertinet, ea ne instituta quidem est. principio numerantur vigiliæ, extremarum partium frigiditas, magnum delirium; vrinæ vero tenues, & paucæ, in quibus nihil subsidebat. propria quidem phrenitidis sunt, at maturitatem humorum minime ostendunt; humores enim ad caput ferri, ac concurrere tantummodo demonstrant. IX. vero die eandem infensius pressit morbus; tum enim valde à se ipso discessit ægrota. postea omni perturbatione carere visa est. XX. vero die de mente deturbata non est, quoniam natura iam victa hosti occurrere minime audebat; illumque protinus relinquebat. multa vero præter opinionem euenire in morbis nouum non est. Nemo igitur vestrûm posthac, si quid noui inciderit, miretur: nihil enim medico incredibile ac desperandum est.

XVI. Vrina tenuis, & pauca, & colore nullo fere prædita, humores materiam omnem ad caput affluere significabat. idẽ ostendebat spiritus magnus, & rarus. X. modice insanisse dicit, propterea quod pugna commissa iam iam victa natura sedabatur. vrinę oleosæ antecesserant. alui sordes pingues consequutæ sunt. cutis præterea aridior, & contentior reddita est; quæ hecticum affectum demonstrant. aluus multa tenuia, biliosa, & pinguia extrusit; quæ colliquationis, ac proximæ mortis indicia sunt. febris principio exigua erat concitata à vitiosa humorum crudorum copia, dein paullatim aucta, vbi præcordiorum inflammationem, ac insaniam excitauit; adolescentem tandem consumpsit.

IN IOANNIS BAPTISTÆ DONATII DE MATVRITATE materiæ in morbis, libros tres, INDEX capitum.

LIBER PRIMVS.

XV, De

LIBER SECVNDVS.

LIBER

LIBER TERTIVS.

FINIS.